


163
S. 17





9


F. 637.











QV 3847

LAURENTII STRAUSSII,
Med.D. hujusq; & Physic. Prof.
Ordin. Giffens.

ΜΙΚΡΟΚΟΣΜΟΓΡΑΦΙΑ
METRICA,

Sive

HUMANI CORPORIS
HISTORIA,

Elegiacô Carmine

exhibita,

& ad

*Sanguinis Circulationem, & pleraq; no-
va Anatomicorum Inventa accommodata.*

ANNO MDCLXXIX.



G I E S S Æ,
TYPIS excudebat in Offic. Academ. Kargeriana
Joh. Eberhardus Petri.

LAURENTII STRABONIS
Geographicae
Libri VII

ΠΕΡΙ ΤΗΣ
ΜΕΤΡΙΚΗΣ

HUMANI CORPORIS
HISTORIA
Elegiacis Carminibus

Carminibus
Elegiacis
Circumscriptis
Anno d. m. c. lxxix

1728
Lipsiae
Typographia Academiae Regiae
Johannae Baptistae

L
D
L
Ha
At
E
In
No



Inclyto

FRATRUM GERMANORUM

PARI,

Dn. GEORGIO

&

Dn. JOH. OTTONI

HORSTIIS,

Med. Doctorib. & Archiatis

felicissimis,

Dnn. Affinibus plur. colendis,

LAURENT. STRAUSS. S. P. D.



Uas demandatis perfuncta laboribus
horas

Indulsi Medici munere sparta gra-
vis,

Harum aliquot tacito rapuit mihi blandula motu

Euterpe, ingenio semper amica meo;

Atque tuas, dixit, sueto modulamine curas

Excute; quò mutent cura quiesque vicem.

Est sua jucundis alternans floribus ætas;

Fructibus assiduis lassæ senescit humus;

Intensus nimitum, nisi laxes, rumpitur arcus;

Partitis melius cursibus ibit equus:

Nos reficit moderata quies, reparatque vigorem;

Tu quoque ad officium sic magis aptus eris.

A 2

Sur-

Surge, age, mirandos Hominis cantabimus Artus,
 Materiamque lyræ Viscera quæque dabunt.
 Splendet in Humanis Divina Potentia Membris,
 Inque suas laudes nos trahit ipse DEUS.
 Hæc effata, statim sermones versibus aptans,
 Cogit in alternos currere verba pedes.
 Hinc mihi sub manibus *Parvi Descriptio Mundi*
 Nata est, & Musæ pellicientis opus.
 Hoc *Germanorum*, VOBIS, pia Gratia *Fratrum*,
 Nuncupo, qui cordis portio magna mei!
 Scilicet ingeniis quidam est consensus amicis,
 Et studii servat fœdera quisque sui.
 Sic Phœbus Musas, miles fera bella gerentem,
 Rectoremque vagæ navita puppis amat.
 Nec nostram Musæ modulamen dedecet Artem,
 Ceu præceps Momi judicat ingenium;
 Musa repertoris medicarum filia rerum est,
 Et primum Medicus lusit Apollo melos.
 Excipite has chartas, memoris ceu pignus amoris,
 Et vestris oculos exhilarate meos.
 Sunt equidem, fateor, fruges ignobilis agri,
 Parvaque de sterili munera rure fero;
 Mens sincera tamen junget sua pondera rebus,
 Et pretium chartis officiola dabit.
 Hos, quicumque velit, corrodat dente labores,
 Illæsum ingenui stabit amoris opus!
 Vivite felices, & *Avi*, *Patrisque* coronis
 Pergite servatō jungere cive novas!
Horstiadum celebrat quos Nomen, & æmula Virtus,
 Hos DEUS æternâ prosperitate beet!

Q. D.



L. D. B. V.

ΜΙΚΡΟΚΟΣΜΟΓΡΑΦΙΑΣ
INTROITUS.

Attentô lustrent alii miracula visu,
 In gremiô tellus quæ fovet ampla suo,
 Atq; maris mirêtur opes, æstûq; fugamq;
 Antiquos repetit dum levis unda lares:
 Irrequiera poli stellantis lumine volvant
 Sidera, vel quicquid major hic orbis habet;
 Nulla meum torquet cor, quæ tibi cura, *Columbe,*
 Invideat mundi mira reperta Novi.
 Est mihi mens terras aliô sub Sole calentes
 Cernere, & egregiam Mentis adire domum.
 Allicit hos oculos parvi sacra fabrica mundi,
 Et spectatorem me jubet esse suum.
 Magnum iter adgredior, variorum nobile gressu,
 Qui tamen hanc nostram vix tenuêre viam.
 Sed quis erit socius nobis, quis fidus Achates?
 Anne ego tentabo, me duce, solus iter?
 Collige sarcinulas magni rudis incola mundi,
 Atque orbis mecum cerne minoris opes.
 Heïc etiam sunt, crede, Dii! nil Numinis expers,
 Præsentemque canunt parvula quæque DEUM.
 Heu, dolor! in sese nemo descendere tentat,
 Et, qui se cupiat discere, nullus adest!
 Usque adeò corruptus amor nos fascinat omnes,
 Præter & externum vix placet Ara jubar.

A 3

Hor-

Horrēscit mortalis homo se cernere totum,
 Sub Cure quæ latitant nôsse, nocere putat.
 Cùm tamen interior mirò micet ordine forma,
 Artificisque probent viscera cuncta manum.
 Est aliquid, splendere foris. concinna venustas
 Corporis externi, non sine laude, niter.
 Dulce tuas, Galatea, nives, tua lactea colli
 Lilia, cum roseis, dulce, videre genis.
 Nec mirum, Corydona tuos ambire colores,
 Externâque capi corporis effigie:
 Nos tamen interni potiùs movet, ecce! decôris
 Gratia, quâ sapiens conciliatur amor.
 Nempè ignis nos major agit. magis ardua Virtus
 Quæritat, & studiis præmia digna suis.
 Multi multa sciunt, sed (si modò vera fateri
 Fas est) ignorant seque suosque lares.
 Scire tuum nihil est, nisi te benè noveris ipsum;
 Hæc est propositæ meta scopusque viæ.
 Me cupio pernôsse prius. si gloria desit
 Nobilis ingenii, me benè nôsse, sat est.
 Sed duce dum careo, tu, casta *Scientia*, mecum
 Ingredere inceptam, duxque comesque, viam.
 Virgo veni, cui docta dedit *Profectio* nomen,
 Cuique favet Regum Gratia, virgo veni!
 Corporis humani nobis ostende recessus,
 I præducentem mente, manuque sequar.
 Adstat Progenies *Sophiæ*, monstrare parata,
 Quæ desiderii sunt pia vota mei.
 Jam salve nostris ô lumen amabile curis!
 Discuties tenebras Artis & Ingenii.

Sordet

Sordet & ipsa Venus præ te, lectissima Virgo,
 Dum jucunda mihi, dum mihi dulcis ades.
 Quàm cultris adsueta manus, manus arte secandi
 Insignis, facili se movet, ecce, modò!
 Cur oculos taceo, vigiles sub fronte ministros?
 Crede Venus, nostrâ sunt & in arte duces.
 Sed cur te reliquis oneras sic, Optima, rebus?
 Armamenta mihi hæc sarcina suavis erunt.
 Ipsemet hos tubulos, duram cum forfice cotem,
 Ancipites & acus, torta que fila geram;
 Nec salpella mihi, nec erit gravis hamulus iste,
 Quamvis addantur spongia, serra, styli.
 Ast, ô! Livor edax, quid rodis dentelaborem,
 Quem dudum Leges, Utilitasque probant?
 Cur sic armatam, dic Zoile, Pallada rides?
 Scilicet olores Ars habet usque suos.
 Sed jam tempus adest. tractare negotia præstat.
 Jam Natura suas tota recludit opes.
 Corporis innumeris quem laudat Machina linguis,
 Nostrum, quæso, juva, Summe Creator, opus;
 JOVA meis placidam concede laboribus auram,
 Debitus ex illis quò Tibi crescat honor!

CORPORIS HUMANI DIVISIO.

O! quantus nobis aperitur campus in orbe
 Parvo hoc, qui parvi nil nisi nomen habet!
 En! triplex Cavitas se primò in limine sistit,
 Plenaque divitiis heïc tria regna patent,
 Hæc inter tria regna quidem *Caput* agmina ducit,
 Excipit hoc *Thorax*, mox quoque *Venter* adest.

Tramite consuetô fert mens prius ima videre,
 Quàm Capitis superas intueamur opes.
 Sic etenim major capit admiratio mentem,
 Dum tandem in Cerebrô se videt ipsa suô.

REGIO SEU VENTER INFERIOR.

CUTICULA.

PRima sub aspectum cadit ista *Cuticula* nostrum,
 Quam plus sæpè oculis unus & alter amant.
 Heïc etenim Cypris ipsa suas exponere merces,
 Dum ruat in casses præda petita, solet.
 Qui sapis, hasce cave; nimium nec fide colori,
 Forma bonum fragile est, mox nitor iste perit.
 Non semper credenda Ceres fallacibus arvis,
 Non placido semper navis onusta mari.
 Quam redamas, faciem fœdô vitiabit amictu
 Tempus edax. roseis sunt sua fata genis.
 Adveniet canis comitata senecta capillis,
 Afferet & rugas, quæ tibi corpus arent.
 Non oleû est semper; nec & usq; Cuticula splendet,
 Cæcus in antiquâ fronte superbit Amor!
 Quin igitur variis animum virtutibus orna,
 Solus ad extremum permanet ille diem.
 His monitis instructus ama splendoris honorem,
 Nec, præter speciem, nil superesse putes.
 Longè alios Natura scopos intendit & usus,
 Quorum summa tibi nunc referenda venit.
 Oscula vasorum in substratam abeuntia pellem
 Claudit, ne partes usque madore fluant.

Hæc,

Hæc, veluti medium, tangentis temperat ausus,
 Infringitque tuas, vis inimica, minas.
 Ipsam namque magis densam superaddita reddit,
 Auget & insigni robore lenta cutim.
 Hac sine natus homo morbosam ducere vitam
 Cogitur, & multis sæpè carere bonis.
 Si dubitas, me vera loqui, monumenta revolve,
 Hungariæ, en, testis Rex *Ludovicus* adest!
 Defuit infanti dum summa cuticula, canos
 Jam puero obtrahit mira senecta pilos.
 Hanc si fortè lubet divulsam à pelle videre,
 En, candela ardens vota replere potest!

C U T I S.

Sed nunc ipsa *Cutis*, variò mirabilis usu,
 Sollicitat nostræ sedulitatis opem.
 Aspice totius tegumentum corporis album,
 Quod latitans sanguis sæpè rubere facit;
 Sæpè colore aliò mundus fœdatur amictus,
 Quando peregrinò vasa liquore scatent.
 Scilicet in foliis varians qui cernitur humor,
 Ex fibrillarum divite fonte fluit.
 Prætereà internum dum servat pulchra calorem,
 Utile cum dulci miscet ubique *Cutis*.
 Hujus ad arcendas data sunt umbracula noxas,
 Hinc, umbone velut, sub cute membra latent.
 Et quia membranæ proprium sibi vindicat usum,
 Subjectum tactûs non sine jure cluet.
 Perficit heïc etenim modò dictus munera sensus,
 Munera diversis nobilitata modis.

Lis agitata diu est; reliquis quæ portio præstet
 In cute? vel princeps sensibilis una foret?
 Selectæque duæ solerti indagine partes;
 Jamque suum Nervus, jam Caro pondus habet:
 Dum tandem felix lucem *Malpighius* auxit,
 Ostenditque novam dexteritate viam:
 Pyramidem innumeræ referentes, ecce, papillæ
 Ad sunt, progenies nervea parva Cutis,
 Semper & æquali procedunt ordine binæ,
 Perque sui medium parvula vasa meant;
 Dum cutis internas recipit sæpè unica sordes,
 Hosce per exsudant quæque molesta poros,
 Conspicuoque tenax hinc inde foramine gaudet,
 Exitus ut pateat rebus & introitus.
 Plurima nec tacitis reprimenda est Glandula verbis,
 Agmine quæ spissò sub cute parva latet:
 Namque per has tenuis sensim secernitur humor,
 Cui vulgare seri nomen ubique datur.
 Hinc prorupturis consurgit origo capillis,
 Quæis aptò integitur pellis amica locò.
 Dum quoque lineolis faciesq; manusq; notantur,
 Vulgus in his credit fata latere plicis.
 Sed faciem inspiciens cur sic inquiris in annos,
 Et tua decernis iudice fata manu?
 Cur tibi Vitalis, vitam; cur Solis, honores;
 Linea Saturni cur tibi spondet opes?
 Falleris, aut fallis. Sunt pleraque somnia, plures
 Quæ tamen attentos anxietate premunt.
 Quod si fortunam, longævæ tempora vitæ,
 Fataque fat certò scire futura cupis;

In manibus dubiam ne, Credule, quære salutem:
Omne id te vitæ facta docere queunt.

MEMBRANA ADIPOSA.

Jam connexa Cuti *Pinguis Membrana* videri
Gestit, & in molles nos vocat ipsa sinus.
Unde suum ducat, jam non certabimus, ortum,
Frigus an efficiens causa sit, anne Calor?
Hæc aliis solvenda dabo. Mihi sufficit usus,
O! præpinguis Adeps! enumerare tuos.
Non etenim frustra blandos Natura recessus
Cordidit, in vanum quæ nihil alma facit.
Instar vestis adest, nativum corporis ignem
Augens, quem suavi blandula mole fovet.
Dumque vagabundos occludit densa meatus,
Humorum effluxus hac prohibentur ope.
Ventriculusque Adipi substratæ plurima debet,
Admoto innatum quod juvet igne focum.
Omentum hinc crebros excisum gignere ructus
Assolet, & stomachus postulat arte regi.
Esse quidem novi, quibus hæc diversa videntur
A vero, & partes, docte Galene, tuas
Linquunt, atque fidem Riolano adscribere malint;
Interea placuit sic meminisse tui.
Sunt, quas humectat siccas hæc portio, partes,
Arida ceu serpens rivulus arva rigat;
Sunt, quibus infervit, veluti pulvinar amœnum,
In quo membrorum grande quiescit onus.
Excipit & varios, instar muniminis, ietus,
Demulcetque premens pondus, & imminuit.

Quin

Quin moderatus Adeps calcaria motibus addit,
 Impedit hos idem, cum nimis auctus adest.
 Tollitur ariditas passim pinguedine, motum
 Continuum partis quæ solet usque sequi.
 Vena coronalis cordis mea dicta probabit,
 Atque oculi splendens orbita testis erit.
 Tandem etiam vacuas implet Pinguedo cavernas,
 Unde suum fabricæ constat ubique decus.
 Hanc quia tempus edax anui consumsit, ab ore
 En! labat annosô pendula ruga situ?
 Quin dulci & pingui nutrimur, teste Galenô,
 Ergoné Adeps, dices, debile corpus alet?
 Sunt, quibus hæc firmô sententia stare videtur
 Talô; sunt iterum, quæis minùs illa placet.
 His ego, (cur simulem?) si quid mea vota valerent,
 Dum meliùs doceant, & mea vota darem.
 Pinguior intereà gravat hæc sua corpora moles,
 Carnificisque vicem sæpiùs ipsa gerit.
 Tale quid expertus Dionysius ille Tyrannus,
 Qui mera, Athenæô teste, sagina fuit:
 Tantô etenim fertur jacuisse sopore sepultus,
 Præ nimiaque adipis mole fuisse piger,
 Ut, nisi punctus acu, nunquam sua membra levârit;
 Hinc sibi diversas ipse paravit acus.
 Cristas ergo suas macilentior eriget ordo?
 Dum tibi sic (dices) ossea turba placet.
 Naturæ ausculta: mediô tuissimus ibis!
 Ut suus est Adipi, sic habet ista modum.
PANNICULUS CARNOSUS.
Panniculus carnosus adest, atque explicat usus.
 Ipse suos, oculis perspice cuncta tuis.

Con-

Convenit huic primùm partes munire propinquas,
 Quin totum corpus, ceu situs ipse docet.
 Continet hic porrò teneras pinguedinis oras,
 Musclorum à motu ne liquefiat Adeps.
 Forsitan hæc timidò titubat sententia talò,
 Quando hunc internis constat adesse locis;
 Nil moror; accedas vero licet, omnia tentans;
 Sæpiùs ex dubiò verius elicitur:
 Interea pergamus iter, reliquisque vacemus
 Lustrandis, inter quæ tibi Vasa patent,
 Quæ passim tacitis in pellem abeuntia fibris
 Sustinet; & rarum tegmine fulcit opus.
 Ast, hoc sublatò, latitans sua tegmina pandit
 Musculus, & propriâ veste superbus adest.
 Separat hæc varii corpus membrana Lacerti,
 Ne confundatur motibus apta caro.
 Tumq; etiam tunica hæc sensûs communicat usum;
 Heïc dolor, heïc tactûs gratia prima sedet.

*MUSCULUS IN GENERE CON-
 SIDERATUS.*

Nunc vario insignis spectatur *Musculus* usu,
 Pars, quæ non unâ parte decóra nitet.
 Primùm, credo, dedit græcum *Contractio* nomen,
 Hoc etenim propriè *Musculus* omnis agit.
 Hic caput æquali simulat sic tendine caudam,
 Ut finem possis dicere principium:
 In mediò sed venter adest, sat carne repletus,
 Corporis hinc etiam nomen & omen habet.
 Præcipuæ, si fortè rogas, quæ partis honore
 Gaudeat has inter portio particulas?

Diver-

Diversis diversa placent. sub iudice lis est.
 Tendinis hic partes, Carnis at alter agit.
 Fibrosâ meliùs dici hoc de carne putarem,
 Utpote quam semper Musculus omnis amat;
 Tendine cùm careat tamen ex his unus & alter,
 Occupet ut primum sic caro jure locum.
 Quin etiam reliquas conferre heïc symbola partes
 Cernimus, & socias jungere quamque manus.
 Hinc fert Nervus opem, sine quo si Musculus esset,
 Motio desineret, moxque periret opus.
 At verò, ut meliùs tam nobilis actio fiat,
 Tendit in auxilium plurima Fibra manum.
 Adsunt & dulci salientes sanguine fontes,
 Quò constans vigeat partis ubique labor.

MUSCULI ABDOMINIS.

Porro, per *Abdomen*, dispersos, teste, *Lacertos*,
Galenò, quatuor cernere utrinque datur.
 His diversa situs fibrarum nomina finxit,
 Quæ tibi monstratum cuncta fidelis eo.
 En! *Par obliquè Descendens* agmina ducit,
 Latum præ reliquis quod, reor, esse vides.
 Musclorum veros pars illa immobilis ortus,
 Cui torus inseritur firmiùs, ipsa docet.
 Desinit in medium *Par* hoc ibi denique ventrem,
 Osq; ubi pubis adest, albaque Fibra nitet.
 Linea concursus Musclorum abdominis hæc est
 Tendinum, & albescit; sanguine nempè caret.
 Tùm quoque *Descendens Par* hoc insigne foramen,
 Nò minùs umblicum, quàm Inguina versus, habet.

Obli.

Obliquè Adscendens sequitur, numerôq; secundum,
 Fibrarum nomen cui dedit ipse situs.
 Principium tribuunt simul huic Membrana, Caroq;
 Sed finem duplex denique Tendo notat.
Rectis Rectorum prodit *Par* nobile fibris,
 Quorum exorsa tibi pectus aperta dabit.
 Hîc, ubi jam Sterni pars mollior exprimit ensem,
 Invenies facili stamina prima manu.
 Ospubis finem Rectorum tendine monstrat,
 Quamvis invertant unus & alter opus:
 Nam, quod principium modò diximus, altera finem
 Pars statuit, finem principiumque docet;
 Quêis prior arridet sententia; carne moventur:
 Carnosus nunquam finis adesse solet.
 Heïcque notare juvat, plures hos esse Lacertos,
 Qui *Par Rectorum* nobile constituunt.
 Inque superficie duplex Arteria, Venis
 Occurrens totidem, prodit amicitiam.
 Vascula digna cani; namque hîc consensus amoris
 Gliscit, quem Matrix, blandaque Mamma fovent.
 At, falsò Venis adscribi talia, dices,
 Cùm potiùs Nervô sensus ubique detur.
 Res obscura quidem, fateor: sed sensus amoris
 Non minus in ipso sanguine fortè calet.
 Hinc etiam Nares, affixa cucurbita ventri,
 Sanguine dum stillant, Arte favente, juvat.
 Si, qualem, rogitas, *Rectus* det Musculus usum?
 Flectere thoracem, bruta docere queunt.
 Quartum *Transversi* faciunt *Par*, ecce, Lacerti,
 Infimus istorum cernitur ordo situ.

Hoc-

Hocque à Transversis ducit processibus ortum,
 Vertebra Lumborum quos reperire facit.
 Tumque nothis costis nexatur, & ossibus Ilii,
 Albaque productum Linea finit opus.
 Haftenus ostendi, quos motûs docta magistros
*Galen*i expressos cura laborque dedit;
 Jamque duo restant alii, quos *Massa* peritus
 Felici invenit dexteritate manûs.
 Hincque etiam Quintum *Par Pyramidale* videmus;
 Pyramidis nomen fortè figura dedit.
 Ortum ex osse sacro, mediante ligamine, ducit,
 Albaque dat finem Linea, quam cecini.
 Comprimere Urinæ dicatam pondere capsam,
 Huic usus proprius creditur esse Pari.
 Quin & idem esse volunt cum Rectis, sed simul ipsa
 Et Membrana aliud, Lineaque; alba docent.
 Hoc equidem verum est, Rectos exinde juvari,
 Et melius partes, imaque membra premi.
Parque Cremasterum succedit & agmina claudit,
 Præ reliquis Testes quod relevare volunt.
 Actio cunctorum Musclorum Abdominis hæc est:
 Complecti partes, cumque opus est, premere.
 Quin etiam hîc Trunci quasdam sibi flexio partes
 Vindicat, & facilis commoda partus habet.
 Conveniens sequitur nocituræ excretio fæcis,
 Inque hoc conspirat Musculus omnis opus.

PERITONÆUM.

Nunc membrana, imi quæ vestit Viscera Ventris,
 Et *Peritonæum* vulgò vocatur, adest.

Ovum

Ovum forma refert oblongum, crassior infra
 Cernitur, ut pondus tutius illa ferat.
 Estque superficies intrinsecus illita rore,
 Sed faciem externam confraga fibra notat.
 Ad spinam Dorsi Lumborum Vertebra prima
 Ortum quærenti perbreve monstrat iter.
 Quin geminam hanc tunicam supraque infraque videbis,
 Hac Vesica simul duplicitate latet.
 Præterea exilis tunica hæc fovet uvida Nervos,
 Hinc mala percipiens huic quoque sensus inest.
 Nec malè Galenus vult, plura foramina habere;
 Hoc etenim Fœtus, multaque Vasa docent.
 Hæc membrana bono cui sit? si noscere gestis,
 Ecce! imi ventris viscera quæque tegit,
 Et tunicas aliis prodit, quas postulat usus,
 Vasorum tacitis claudit & ora seris.

O M E N T U M.

Omentum sequitur, quod suevit Rete vocari,
 Marsupiumque refert, sub Stomachoque latet.
 Præ reliquis proprium membranis hoc habet, hujus
 Plurima per relam vasa quod intus eant.
 Nec minus egregios variis communicat usus
 Partibus, hoc Adipis copia magna docet;
 Hac stomachi fundum recreat, reficitque calorem,
 Unde suum melius coctio munus obit.
 Ipsa sed hunc propriè tunica hæc sibi vindicat usum,
 Ut vasis fulcri suggerat usque vicem.
 Pluraque tum Portæ data sunt huic vascula Venæ,
 Quò plus ad fontem sanguinis ire queat.

VENTRICULUS.

Sub septô latitans transversô Fistula nobis
 Utricularis adest, atque culina domûs.
Ventriculum plerique vocant, ceu ventre minorem,
 Quin *Stomachi* nomen portio parva dedit.
 Sunt quatuor bruto stomachi, quod ruminat herbas,
 Et duo pennatis, unicus ast homini.
 Formam vidisti; sed nec minùs ora merentur
 Cerni, nam variis usibus ambo juvant.
 Os stomachi, antiquis *cor* dictum, sede sinistrum,
 Incipit heïc nostras sollicitare manus.
 Amplius ac majus dextrô est, & crassius ore,
 Carnosis fibris cingitur id variis.
 Heïc operæ pretium est, celeris miracula sensûs
 Monstrare ad sensum, signaque certa dare.
 Nam varios animi motus, hoc ore dolente,
 Sæpius enasci, res facit ipsa fidem.
 Sæpè repentinô pectus languore fatiscit,
 Cor in consensum cùm rapit os Stomachi.
 Non equidem paucis Nervorum argentea fila
 Vi dare præcipuâ tale videntur opus;
 Attamen ambiguos quid quærimus usque meatus,
 Dum sat Thoracis lactea vasa patent?
 Hæc veras monstrare vias, hæc multa docere,
 Hactenus in tenebris quæ latuère, queunt.
 Palpitat hinc Stomacho Cor ipsum sæpè repletô,
 Mutantur pulsus, mors inopina premit.
 Heïc, velut in centrô, vitamque animamque sedere,
 Scriptor inauditæ tradiderat Physicæ;
 Hactenus at paucis placet hæc sententia; namque,
 Cui sedet in Stomachô mens sua, mentecaret.

Os dextrum, vulgò inferius, quod Janitor audit,
 Coctum dimittit, distribuitque cibum.
 Nec verò clausum, donec jam plena ciborum
 Quorumvis fuerit coctio facta, manet;
 Sed sensim, sensimque cremor delabitur omnis,
 Cocta que præcedunt cruda, nec ulla mora est.
 Insuper egregiè diduci hæc oscula possunt
 Ventriculi; exemplis vix opus esse reor.
 Officulum cerasi quid dicam, quidvé lapillos?
 Glutitas alias novimus esse dapes.
 Quin ranas, constat, serpentes atque lacertos
 Hac sese in stomachum præcipitasse viâ,
 Moxvé per inferius, portam referante Pyloro,
 Exclusos, aliam constituisse domum.
 Porrò Ventriculum conjunctò robore firmant
 Fibræ, quas generis triplicis esse vides;
 Scilicet oblongas, transversas, tum quoque rectas,
 Totque simul Tunicas hîc numerare licet.
 Ex harum censu communis prima vocatur,
 Undique sed fibris cincta secunda venit,
 Tertia nervosa est, oris simul ac labiorum
 Communes tangens, participansque lares.
 Et sic accessu meliùs prohibentur amara,
 Ac ingrata nimis, quæque nocere valent.
 Quin & villosæ lustrabis glandia crustæ,
 Quæ milii granis æquiparanda patent;
 Sanguinis illa serum sensim secernere, dicunt
 Fermentum stomachi quò juvet iste liquor.
 Præterea plures membrana hæc infima rugas
 Continet, extendi quò, retrahi queat.

Hinc Stomachum multis videas satis esse capacem,
 Mos quibus, inmodicos ore vorare cibos.
 Nec mirum, varias miserum movisse querelas,
 In cujus noxas ingeniosa gula est.
 Attamen id rident mandones de grege porci,
 Qui Cereri & Baccho nocte dieque litant;
 Quin potius nullis ideò cinctum ossibus esse
 Ventriculum, morem quò gerat ipse, purant,
 Obsequiumq; gulæ præstet, quãdo amphora fertur,
 Atque coronantur pocula magna merò.
 Cur potare neget Stomachus, potare lubido
 Dum capit? ha! genio serviat ille meo.
 Sic garrit lurco, cui mentem Bacchus ademit,
 Quem brutis similem reddidit Ebrietas.
 Quid verò Natura docet? benè vivere parvò,
 Et licitis modicè rebus ubique frui.
 Summa quies, nil velle super, quàm postulat usus,
 Atque etiam placitis abstinuisse bonis.
 Occidit Eurycion stultè data vina bibendo,
 Et Cyrum Tamyris perdidit una merò.
 Sunt & opes, opibus placidè caruisse; beatus,
 Cui prima est Animi cura, secunda Cutis!
 Sed quò digredior? Stomachi jam cernere vasa
 Mens erat, atque usus enumerare novos.
 Ergò ad propositum redeamus tramite rectò,
 Quandoquidem nobis haut breve restat iter.
 Plurima Ventriculus, diversaque Vasa recepit,
 Viscere non unò contribuente suum.
 Vas breve deberi Veteres voluère Lienì,
 Pendet ab incertâ res tamen ista fide.

Uc

Ut verum fatear, frustra hæc connexio nostris
 Est quæsitâ oculis ; fortè nec ulla datur.
 Gastrica major adest, Stomachi quâ cingere sumam
 Cernimus, en, partem, ceu diadema solet.
 Gastrica Vena minor ramô pro manat eodem,
 Et stomachi in gibbum, plena liquoris, abit.
 Sunt & adhuc aliæ, quarum scio nomina, Venæ,
 Versibus illa tamen non satis apta meis.
 Parte ab utrâque fluunt, stomachiq; sinistra pererrat
 Fundum, & ad Omentum vascula pauca vehit.
 Dextra Mesentericô debet cunabula Ramo,
 Et commune dari nomen utrique solet.
 Munera quæ præstent, non est mens omnibus una,
 Ceu suevit fieri, dum sibi quisque sapit.
 Sanguinis assiduos, Anglo duce, consule cursus,
 Inde tibi totum scire licebit opus.
 Nempè redundantem nutritâ à parte reducunt
 Succum, quem Ramus Splenicus ore capit.
 Namq; & in hunc abeunt omnes pulcrô ordine venæ,
 Hoc non una tibi valvula monstrat iter.
 Sic Venas vidisse, sat est. Arteria tangi
 Nunc gestit, Stomacho dans alimenta suo.
 Singula Cœliaci vasa hæc sunt germina Rami,
 Cumque suis Venis nomine conveniunt.
 Non igitur Chylo, dubius ceu credidit olîm
 Error, sed purô sanguine cernis ali,
 Sanguine cernis ali stomachum, cui candida porrò
 Ecce! Paris Sexti portio fila dedit.
 Hinc Stomacho stomachâte Caput plerumq; dolere
 Cogitur, ac eadem fata, malumque pati.

Actio Ventriculi quæ sit, quis & insuper Usus?
 Colliget ex visis mens oculusque, reor.
 Nempè cibum, potumque simul, recipitque; tenetque,
 Ut fieri melius coctio prima queat.
 Hujus nativo debetur prima calori
 Gloria, sed reliqua hunc proxima membra juvant.
 Sic Veteres statuere diu. Sed tempore nostrò
 Addidit huic acidi cura liquoris opem.
 Fermentum plerique vocant. quæ fundere nescit
 Ipse Calor, cuncta hoc solvere posse putant.
 Forsitan ingenio magis est hic cognitus humor,
 Ac Naturæ ipsi; credulitasque iuvat!
 Cur non per Nervos stomacho qui spiritus adstat,
 Perficiat Chylum, commoveatque Famem?
 Sed mihi mens non est tantas componere lites,
 Quilibet hoc credat, quod volet ipse, licet.

I N T E S T I N A.

Intestina tibi jam nunc ostendere conor,
 Quæ Ventris cavitas continet in mediò.
 Convolvi in varios dum cernis pleraque gyros,
 Forsitan hos credes sine carere suo?
 Nec tamè hocce carent; nisi enim mora talis adesset,
 Nunquam cocta satis sic alimenta forent.
 Ipsaque continuò gula nos turbaret hiatu,
 Sumere moxque novas cogeret ore dapes:
 Hincque frequens imi nimium dejectio Ventris
 Mille moras studiis, tædia mille daret.
 Membranosa quidè, ut stomacho, substàtia cunctis,
 Sed variat, crassis crassior illa data est.
 Sic Coli in fine, & Rectò simul Intestinò
 Crassities major cernitur; urget opus.

Tres

Tres porrò Tunicas scissa hæc substantia donat :
 Primam, quæ propria est, plurima ruga notat ;
 Rugis crassa solent ast Intestina carere,
 Expansum in cellas Colon ubique tumet.
 Carnosis multùm dotata est altera fibris,
 Communisq; sequens, exteriorque cluet.
 Nec Velamentum tenui à bombyce vocatum,
 His dum de Tunicis sermo, tacere licet :
 Communem remove membranam, parva videbis
 Intestinorum corpora adesse plicis ;
 Turgidaq; inuenies, si presseris, omnia lymphâ,
 Plurima quam tubulis glandia mixta vehunt.
 Quin Intestinum tubulatô hoc agmine totum,
 Non absque insigni commoditate, scatet :
 Immediata statim ne rubrum Arteria succum
 Transvehat in partes, Glandia dicta cavent ;
 His etenim, veluti colô, secretus in illas
 Truditur, atque suis usibus aptus adest.
 Intestina suis decoravit singula vasis
 Natura ; hinc chylus, sanguis at inde fluit.
 Lactea vasa quidem detexit *Asellius* autor,
 Quamvis antiquis nota fuisse velint.
 Sunt, quibus inventû hoc figmentû & fabula vulgi
 Audit, sed frustra : res facit ipsa fidem,
 Egregiôque simul se dudum vindicat usu,
Vero inter spinas usque ferente rosas.
 De quô plura suô tibi dicam tempore ; restat,
 Intestinorum cætera vasa canam.
 Sanguineos ductus, quos cernis, vena recludit,
 Aptum quæ Portæ nomen & omen habet.

Cœliacum agnoscit pro fonte Arteria Ramum,
 Parque inter costas candida fila vehit.
 Cui sacra cuncta bono sint Intestina, docere
 Jam noster facili sermo labore potest.
 Quæ tunicâ tenui magis Intestina teguntur,
 Hæc chylum recoquunt, distribuuntque simul;
 Excrementitias sed partes crassa sequestrant,
 Sic sibi conveniens singula ritè trahunt.
 Insuper in cunctis nonnulla notâsse juvabit,
 Quæ velut allatis pulchra coronis erunt.
 Ecce, Duodeno, quod Dodecadactylon audit,
 Hæc proprium & duplex sæpè foramen adest.
 Pancreatis ductum, de quô mox plura loquemur,
 Felleum & admittit, lare patente, porum.
 Jejunum longam, veniente rubedine, metam
 Finit, & umblici sub regione latet.
 Ileon, à numero gyrorum, aut osse propinquô
 Nomen habens, vasis dives ubique suis,
 Angustô superat, ceu longô, cætera tractu,
 Extenditque suas Colon adusque plagas.
 Inter Crassa, vide, Cœcum primordia ducit,
 Exitus huic idem est, qui fuit introitus.
 Vermem forma refert, in fœtu largius extat,
 Atque replent fæces hujus ubique cavum.
 At, quos pro vectis ætate & corpore fructus
 Afferat, in dubium doctior ordo trahit.
 Flatibus, in Coli spatiosâ sede subortis,
 Hoc dare sepositum sentio posse locum.
 Colon adest, cellis duplici que ligamine gaudens,
 Amplius haut ullum (nomen & inde) datur.

Hæc

Hæc dolor insigni cruciatu colicus urget,
 Et distenta gravi murmure claustra sonant.
 Hujus in exorsis, suprâ Cæcique foramen,
 Cernitur interiùs valvula crassa satis.
 Hæc prohibet, duri ne constipatio ventris,
 Aut excernendi vis ferat ulla malum.
 Namque aliàs flatus fæcesque redire valerent,
 Et vomitus posset stercoris inde sequi.
 Restat, ab extensô quod Recti tramite nomen
 Obtinet, hîc duplex, en! quoque Sphincter adest.
 Quivè, Cuti impactus, plerumque Cutaneus audit,
 Podicis extremas occupat atque plagas;
 Ast, alter sacri conjunctus partibus Ossis,
 Latior existens, inde vocamen habet.
 Annulus ut digitis, sic circumducitur ano,
 Excidat invitis ne quoque ventris onus.
 Inque suam sedem, tollens quem Musculus anum
 Diduxit, Sphincter parte ab utrâque trahit.
 Denique Vasorum facienda est mentio, Portæ
 Quæ venæ mittit portio, quævé Cavæ:
 Illa interna quidem tunicas transfertur in ipsas,
 Ast ani ad musclos spargitur exterior.
 Atque his se sociat Venis Arteria; Nervos
 Spinæ sat parvos ima medulla dedit.
 Hæc sunt, quæ placuit reliquis adjungere dictis,
 Intestina tibi quò magè nota forent.

M E S E N T E R I U M.

Intestina satis (sic sentio) vidimus; instar,
 Ecce, *Mesenterium*; res quoque digna cani.
 Quamvis istorum dicatur portio, non est,
 Sed benè membranis annumerare licet.

Quin etiam mediò pro viscere quisquis habebit,
 Inveniet plures, qui sua dicta probent.
 Est unum numerò, faciet divisio duplex,
 Tuncque Mesenterii pars Mesocolon erit.
 Membranâ duplici dictæ substantia partis
 Constat, quin Adipis copia multa subest.
 Interjecta etiam non una vel altera tantùm
 Glandula (nam plures sunt) memoranda venit.
 Nomine *Pancreatis* signavit *Asellius* istam,
 Maxima quæ medium continet una locum.
 Hinc & *Asellianum* nostris ea Pancreas audit,
 Quælibet ut propriò nomine res veniat.
 Porrò Valorum fermè innumerabilis ordo
 Uda Mesenterici permeat arva soli.
 Porta suas huc mittit opes, dat *Aorta* vicissim
 Ramos, hinc dives sanguinis unda fluit.
 Nec sua Nervorum dicti paris albida plexus,
 Lumborumque simul fila medulla negat:
 Chyliferæque tument alternò flumine Venæ,
 Atque novum properant Lactis adire lacum.
 Hinc meritò gestit nunc hæc Cisterna videri,
Pecqueto primùm quam reperire datum est.
 Ecce, *Receptaculum* candentis nobile succi;
 Hæc illa est niveò capsula digna metrò!
 Una quidem, sed & ampla satis, quæ sæpè minorem
 Condere juglandem sub cavitate potest.
 Circa Verticulos lumborum sede moratur
 Consuetâ, ac ovum penè figura refert.
 Lactea quid præstet nobis Vesicula, nomen
 Edocet; en! recipit sedula lactis opes,

Ex

Ex intestinis, per lactea vaſa, ſubinde
 Advectas, apta hinc pabula ſanguis habet,
 Pertinet huc etiam *Thoracicus* ille *Canalis*,
 Qui chylum tandem cordis ad antra vehit.
 Non equidem propriò penetrat *Cor* ipſe meatu,
 Sed, ſub claviculâ, vas jugulare petit:
 Heic demum exonerans ſua chylus munera miſcet,
 Perque *Cavam* pergit *Cordis* adire ſinum.
 Porrò nec *Ductus* fas eſt reticere *ſeroſos*,
 Non minùs huncce petat cùm ſibi *Lympha* locũ.
Oſtiolis munita ſuis hæc *Vaſcula* ſemper,
 Inſtar cryſtalli, rore repleta nitent;
 Seque ſuis variâ venis ſociare figurâ
 Gaudent, heu! mirum eſt, tam latitâſſe diu!
 Hinc nova *Barthlini* meritis nunc gloria ſurgit,
 Quæ, dum noſtra fluet *Lympha*, perennis erit.
 Interea paucis inventi commoda diſce,
 Nam plenis nequeo cuncta referre modis.
 Scilicet adportant vaſa hæc ſua munera *Cordi*,
 Atque aliis etiam partibus iſta ferunt.
 Chylum *lympa* juvat, confert & ſanguinis undæ,
 Promptius hac miſtum flumen utrumque fluit.
 Hæc nunc ſufficiant; ſi geſtis ſingula noſſe,
 Ipſa *Repertoris* tu monumenta legas.
 Scire *Mefenterii* tandem, reor, expetis uſum?
 Exponam: *Vincli* munus obire ſolet;
 Intestina etenim communi hoc robore gaudent,
*Verticulis*que, velut fune, ligatur opus.
 PANCREAS.
Pancreatis ſat mollis a deſt, & lubrica moles,
 A carne antiquum nomen adepta ſuum:

Atta-

Attamen hæc verè substantia carnea non est,
 Glandosi potiùs corporis omen habet.
 Vertebra Lumborum, ceu cernis, prima dat ortum,
 Parteque sub stomachi posteriore latet.
 Ramus, qui tribuit venas huic, *Splenicus* audit,
 Parq; inter Costas Nervea fila vehit.
 Cœliacusque simul rursus fons ipse sinistram
 Suggestit, huic parti glandula multa subest.
 Vasa nec insertis heic desunt lactea fibris,
 Et quæ flumineo limpida rorescatent.
 Chyliferis equidem primùm dare Pancreas ortum
 Venis, non paucos scis staruisse viros:
 At, properans nos cura jubet vitare mæandros,
 Quos patet in varias ducere posse vias.
 Interea dignum videamus carmine Ductum,
Virsungii ostendit quem studiosa manus.
 Ordine Naturæ suetò solet unicus esse,
 Quamvis hoc geminum viderit autor opus.
 Membranosa quidem dicti substantia Ductûs,
 Ipse tamen generis prorsus ubique sui est.
 In Duodenum amplò serpens aperitur hiatu,
 Flavâ ubi permistus bile meatus agit.
 At non ingreditur, nisi rarò fortè, Lienem,
 Quæ via, Naturæ tunc magis error erit.
 Sed quibus inventum hoc interserviat usibus, unus
 Omnibus haut animus; nec tamen usus abest.
 Hactenus hinc proprium deferri credo liquorem,
 Quò depuretur lacteus ille cremor,
 Intimiorque simul chyli secretio fiat,
 Fædaque stercorei cesset amurca luti.

Hinc

Hinc plerosque volunt quidam deducere morbos,
 Febris & hoc primùm creditur orta lare:
 Namque triplex variis fermentans partibus humor
 Haut frustra tali confluit usque locò.
 Pancreatis cum Bile suum dum succus acorem
 Miscet, & huc latices fert quoque Lympha suos;
 Particulis ut quisque suis gaudetque vigetque,
 Sic etiam propriò corpora Marte movet;
 Indeque continuò fervet miscela tumultu,
 Ac in consensum viscera cuncta rapit.
 Sic quosdam docuisse patet: neque gratia dictis
 Defuit; est thesibus mota saliva novis.
 Nullis in video laurum. Res ipsa loquatur;
 Tuncque dies, verum sit ne? docebit, opus,
 Siquid in his rebus video, mihi sedibus istis
 Haut omnis latitat fons & origo mali.
 Plura etenim triplicis regimen tam grande liquoris
 In dubium, Sensu non reuente, vocant.
 Ipsaque suspendit votum Experientia fallax,
 Et jubet antiquos cum ratione sequi.
 „ Non ego sum Veterum, non affecla, crede, Novorum,
 „ Seu Vetus est, verum diligo, sive Novum.
 Alterius sunt illa loci. nos tramite cœpto
 Pergemus, nondum tota peracta via est.
 Pancreatis brevibus te commoda prima docebo,
 Ne videar nimias neçtere vellemoras.
 Scilicet hoc usum, quem Glandula, præstat eundem,
 Suspendens tutò singula vasa locò.
 Quin, ceu pulvinar, stomacho substernitur, ipsi
 Contactus spinæ ne dare damna queat.

Glan-

Hinc



Glandula vasorum ramos fulcire videtur,
 Sæpiùs hinc macies corporis orta fuit.
 Namque alimenta moram tacitè sic necere cogunt,
 Dum venas scirrhum glandula passa premit.
 Hos fermè antiqui glandosi corporis usus
 Dixère; at plures lux hodierna docet.
 Quin etiam multis hæc Glandula inepta videtur,
 Pulvinar stomacho quæ dare molle queat;
 Nam neque pars partem nullò discrimine tangit,
 Nec situs, hanc isti proximè adesse, docet.
 Sed placet heïc curis quædam servare secundis,
Wartboni intereà tu documenta vide.

H E P A R.

Haëtenus egregias, quas coëctio prima requirit,
 Ostendi partes, quâ brevitate licet.
 Nunc etiam, Hæmatosis quæ postulet organa, dicã,
 Cunctorumque usus enumerabo tibi.
 Difficilis, fateor, labor est, includere metro
 Nomina, quæ nostris sunt minus apta modis.
 Nec mirum, si fortè meis ea gratia verbis
 Desit, quâ Phœbi conciliatur amor.
 Carminis officium præstans doctrina rependet,
 Resque argumentis consolidata novis.
 Ergò *fecur* nostras, Viscus sat nobile, curas,
 Nosque hujus varias experiamur opes.
 Aspice derectum, & mirare Parenchyma, cui pars
 In nostro similis corpore nulla datur.
 Occupat hæc dextrū pars sub Diaphragmate Ventrē,
 Estque hypochondriacæ gloria magna domūs.
 Hoc tūm Duritie superat, tum Mole, Lienem,
 Quas mutare timor, quas gula sæpè solet.

Qui

Qui *Jecur* humanum findunt, præeunte *Galenò*,
 Naturæ obtrudunt, quos negat ipsa, lobos.
 Fissuram admitto, propriè sed dicta loborum
 Corpora, ut in brutis, cernere nulla queo.
 Hepatis, en, varias nexu tria vincula partes
 Suspendunt validò, quò requiescat onus.
 Ex dictis, hujus quæ sit substantia constat,
 Heïcque omnis generis cernere vasa potes.
 Insignis Portæ se vena in limine sistit,
 Cui Cava vena simul jam socianda venit.
 Radices harum tacitò conamine jungi,
 Sat longò immotum tempore dogma fuit:
 Sedulus ast aliud docto *Glissonius* orbi
 Persuasit, visu conciliante fidem.
 Umbilici porrò succedit Vena, porusque
 Felleus, & Lympham vascula sueta dare.
 Vitalem succum revehentiâ Vasa, serumque,
 Vidisti. Satis est. Cernere plura cupis?
 Quæ te cura premit? mihi dic. Ubi lactea tandem
 Vasa? ais. ostende hæc. sunt quoque digna cani.
 Obone! jam frustra quasi visos ante canales
 Quæris; aquam potiùs rorida vasa vehunt.
 Hepatis ad scatebram non amplius ulla refertur
 Chyli pars, unquam lata nec ulla fuit.
 Olìm equidem variis agitata est quæstio pugnìs,
 Lactea quò tandem duceret ista via?
 Meta *Jecur* fuerat. Subscripsit doctior orbis,
 Ipseque *Barthlinus* huic sua vota dedit.
 Attramen in dubium *Pecquetus* vota vocavit,
 Nec potuit tales heïc reperire lares,

Mox.

Moxvé Receptaclum monstrare recentius orbi
 Ausus, & ad fontem nos revocare novum.
 Temporis accessit pulcherrima Filia, Verum,
 Et *Barthlini* oculis luminis instar erat.
 Tuque vide, dixit, nostri es qui verus amator,
 Non lac, sed lympham splendida vasa vehunt.
 Annuit ergò videns, Vir multò dignus honore,
 Ostenditque novò gurgite Lactis iter;
 Et, quæ *Pecquetus* brutorum in corpore primus,
 Primus in humanò conspicienda dedit.
 Nostra sed antè satis descripsit pleraque Musa,
 Restat ut & Jecoris cætera vasa canam.
 Exiguæ molis, nec multa Arteria, Rami
 Cœliaci soboles, Hepatis ima petit.
 Nempè satis calidum viscus, neque fæce repletus
 Usque adeò sanguis, tale volebat opus.
 Namque aliàs nimio mox cuncta calore perirent,
 Accensæque domus fabrica, nulla foret.
 Membranae insertos perpaucos pars cava Nervos,
 Quæ instilletur vis animalis, habet.
 Sic facile ex dictis, quid agat Jecur, eruet ille,
 Talia cui curæ, ceu decet, esse solent.
 Singula perpende, & structuram mente voluta,
 Quæ juvat egregium quisque canalis opus:
 Sanguineæ, dices, hæc depuratio massæ,
 Secretis pariter Bile Seròque, viget.
 Hic locus est, ubi sponte vicaria coctio fervet,
 Atque ministrantes porrigit usque manus.
 Tempore non unò, neq; massam sanguinis omnem,
 Expurgat, tacitò sed pede pergit iter.

Ac has præsertim, quæis Portæ vena repletur,
 Deponit fæces, reliquiasque loci.
 Hinc ad vesicam Bilis pars vertitur, atque,
 Intestina petens, quæ data porta, ruit.
 Pars verò ad Renes, per limpida vasa, Seròque
 Dicatas tandem pellitur acta vias.
 Hoc agit Hepar opus! Veteres migrate Coloni,
 Sanguinis heic non fit massa, sed eluitur.
 Nunc ergò exequias Jecori dat doctior orbis,
 Imperiique simul sceptraque, spesque cadunt.
 Discite mortales, lubricæ ludibria Divæ,
 Nil est perpetuum, nec meruisse juvat.
 Sic, qui duxit heri longum sub vomere sulcum,
 Et validos traxit sub juga curva boves,
 Dat magnis hodiè leges & jura Latinis,
 Curibus imponens bobus adempta juga.
 Ludere quando placet Sorti, tolluntur in altum
 Exiles, lapsu quò graviore ruant.
 Corpora mutantur, nec, quod fuimusque sumusque;
 Cras erimus, variò cuncta tenore fluunt.
 Nuper sanguiflui fuerat rex inclytus orbis
 Hepar, & in toto corpore jura dabat;
 Nunc acrem cribrat per parva foramina Bilem,
 Et cordi victas porrigit, ecce, manus!
 Fortunæ dubio nimiùm ne crede favori;
 Dum tumet Ambitio, Sors peregrina cadit.

VESICULA BILIS.

Fellea sed nobis *Vesicula* vellicat aurem,
 Quam Jecur internâ sub cavitate fovet.
 Suprà equidem paucis hujus jam mentio facta est,
 At quædam hoc restant adjicienda locò.

C

Hanc

Hanc fibrosa satis Caplam membrana revestit,
 Arctius ut succum condat amara suum.
 Strictior est cervix, quam claudens valvula munit;
 Influat ut sensim portio, nec remeet.
 Quò verò meliùs congestæ copia Bilis
 Servetur, fundus largior esse solet.
 Venæ sunt graciles; nec enim majora requirit
 Non magnum viscus vasa, sat illa vehunt.
 Porrò Arteriolis Jecoris Porus unus & alter
 Adjacet; his nomen Bilis amara dedit.
 Vin' tibi quæ præstent hi ductus commoda? dicam?
 Portio sic Fellis promtiùs advehitur.
 Jamque patere puto, quò tandem Bilis abire
 Sueverit, & proprium quem petat illa scopum?
 Intestina petit, Jejunum quære, videbis;
 Heïc alvum fæces exonerare juvat.
 Excrementitiam qui vult obtrudere Bilem
 Sanguineæ massæ, vim facit ingenio!
 Sed faciat tandem; tamen hunc Natura refutat,
 Atque aliud sensus valvaque dicta docent.
 Bili equidem, fateor, sanguis cunabula præbet,
 Excrementa tamen fellea, nullus amat.
 Cur igitur Bilis tibi vitæ balsamus audit,
 Quæ vitæ insidias sic inimica struit?
 Quin, acidum Chyli, dices, hæc corrigit; Ipse,
 Quò meliùs sapias, indicat hocce sapor.

L I E N.

Ne bilem moveam (qui carmina bile carere
 Hæc omni cupio) *Splenis* adibo locum,
 Splen ridere facit; ridendo dicere verum
 Præstat. Sæpè sales seria multa foveat.

Ergò

Ergò melancholici cui turbida copia succi
Debetur, risu me recreabit? ais.

Sic est. quem metuis tinctum nigredine succum,
Nullus ad everfos ibit, amice, lares.

Ignotus planè est hic hospes, crede, Lieni,
Suntque aliæ nobis visceris hujus opes.

Has sed ut ostendam, primùm tibi fabrica Splenis,
Quam modò detexi, conspienda venit.

Tota cavernosa est substantia, quævé lutosam,
Ac mollem carnem mole, colore, refert.

Forfitan hæc frustrà? non! sic calor acriùs instat,
Atque magis succos imbibit ampla caro.

Quin etiam graviore cadò dimittit eosdem,
Omnia quò tandem convenienter eant.

Sed magè declivem sedem Natura paravit,
Quò propior fonti Splen foret ipse suò.

Quem mihi, quem fontè narras? ænigma resolvam:
Sanguine quæ turgent splenica vasa puto;

Ingentem quorum numerum, plexumque videre est,
Quævé parenchymatis interiora petunt.

Vasa hæc descendens insigni Arteria Ramò
Suggestit; hîc primi fontis origo scater.

At Venis satis est, refluentem sanguinis undam,
Portam ante, ostiolis mox inhiasse suis.

Confirmant porrò sat molle Parenchyma Fibræ,
Et nodò efformant se sinuanteporos.

Tandem etiam inclusum mittunt argentea robur
Fila, ut dispositum sic animetur opus.

I nunc, & frustrà factum dic esse Lienem,

Cui Natura operæ tot documenta dedit!

Exime, si placeat, canibus; sine splene valere
 Nullus homo tali conditione velit?
 Hoc quid agat Viscus? Video, te velle rogare,
 Et meritò; nec enim quæstio lite caret.
 Sanguinis in rorem chylum mutare Lienem,
 Invenias equidem, qui statuêre, viros;
 Hinc etiam dixêre: trahi hoc à viscere chylum,
 Lactea sed nulla heïc cernere vasa datur.
 Sanguinis à fonte est, si quis cremor affluit, omnis,
 Nec nisi per Cordis vascula adesse potest.
 Fortè ex Ventriculò, dices, Splen lactea fugit
 Pocula? conveniens vas breve monstrat iter.
 Sic Veteres voluêre, ùt dixi: quin & apud nos
 Hæcce diu potuit res meruisse fidem.
 Sed dubiam fecêre fidem commercia ficta,
 Naturâ tales rejiciente vias.
 Corporis urgeri heïc consensum, sat benè novi,
 Nec, quòd conspirent singula membra, nego;
 Inde tamen non est, ut nos Natura sequatur,
 Inversò que ingens ordine mutet opus.
 At, quorsum, dicunt, urinæ copia pergit,
 Thermis utentes quam dare sæpè solent?
 Nonne Lien bibulus vicino ex ventre liquorem
 Allicit? ambages haut amat alma Parens.
 Esto: sed ambages cursum malè dixeris illum,
 Quem Naturæ ordo condidit ipse sibi.
 Næ! celer è Stomachò qui fit descensus aquarum,
 Ascensusque statim Vasa per alba fluens,
 Et labor assiduus, quò pergit ad Emulgentes,
 Non adeò curant Splenis adire vadum.

Ne te detineam, veros nunc hujus in usus
 Inquiram tandem Partis, & officium.
 Viscera conspirant in Cordis cuncta labores,
 Quolibet auxilium suppeditante suum.
 Nec minus ipse Lien socium se jungere gestit,
 Ac domino studii facta probare sui.
 Excipit hinc crassas per vasa domestica partes,
 Quas vulgò indigitant voce melancholiæ;
 Moxque has dissolvit, tenuatque unitque vicissim,
 Sanguinis ut fiant portio grata novi.
 Fæce sequestratâ terrestri purior exit
 Massa, & per venas ad Jecur ambit iter:
 Hepatis ad portam delatus sanguinis humor,
 Tergitur ulterius, pressaque cola subit.
 Hicvé Seri, Bilisque simul quæ copia abundat,
 Ad designatos cogitur ire lares.
 Inde Cavam repetit, consuetô tramite, venam,
 Et Cor sanguinei massa liquoris adit.
 Atque ita depositum tandem cum fœnore reddit,
 Toti magna ferens emolumenta Lien.
 Quando etenim recoquit partes, quæis plurima terræ
 Vis innata subest, cuncta vigere facit;
 Ast, ubi purpureo remanent in sanguine fæces,
 Defraudatque suo Viscera Splen genio,
 Spiritibus nativa perit lux, membra vacillant,
 Ac homo circumfert nocte dieque metum.
 Sic antiqua diu docuit Schola, sicque Modernos
 Hactenus haut paucos, scis, statuisse viros;
 Quæis ego non dubitè ex aliquâ subscribere parte,
 Dummodò quis mecum Sal adhibere velit,

Et simul hoc acidum Jecori transmittere succum
 Agnoscat Viscus, quo sine Bilis hebet.
 Innuit hoc variis constans substantia cellis,
 Multa que, quæ Splenis, Glandia, viscus habet:
 Scilicet heic proprii fermenti copia turget,
 Et socias Jecori Splen dat ubique manus;
 Sanguineusque labor felici truditur actu,
 Quando exaltatum Fel simul urget opus.
 Quin ergò antiquis facilem se junior ætas
 Præbet, ut inventis hos juvet ipsa novis?
 Sic fore, non uno me spes alit optuma signo,
 Hinc etiam, Vero conciliante fidem,
 Splen ridere facit, repeto: Saturnia regna,
 Cui benè cum proprio est Splene, beatus adit!

R E N E S.

Nunc aliò nos ferre pedem jubet ipsa Lienis
 Virtus, cui requies sæpè nocere solet.
 Nostra que sedulitas vires acquirit eundo,
 Plura que quò vidit, cernere plura cupit.
 Planè opportunò se sistunt tempore *Renes*,
 Quorum nullus apex utilitate caret.
 At prius externi removenda repagula veli,
 Quique oculis nimiùm plurimus obstat Adeps
 Unica (non duplex) hos en! substantia format,
 Hæc que canaliculis undique plena scater.
 Plures ante quidem *Bellino* contigit annos,
 Ignotum multis ut reperiret iter. bit,)
 Hunc placet ergò sequi, (sua sic laus quemq; mane-
 Et labyrinthos hoc duce adire sinus.
 Implicitò pelvim circumdant undique ductu
 Vasorum aggeries, fibraque multa latis:

Hinc;

Hincque per innumeros, compressâ mole, canales
 Extillat falsæ limpidus humor aquæ.
 Exque Cavæ truncô vasa Emulgentia venæ
 Manant, ac Renum corporis ima petunt.
 Idque etiam faciunt, quos Magna Arteria Rivos
 Ad nutrimentum Renibus insinuat.
 Heic Natura parens numerum non semper eundem,
 Nec prorsum similes servat ubique vias.
 Insuper in dictis est passim valvula venis,
 Quæ clusâ Renum parte tuetur opus.
 Num verò nivei tendant huc flumina chyli?
 In mediô celebres, scis, posuisse viros.
 Attamen huc ferri, reor, ac effundere tandem
 Pocula, quæ nimum lacte repleta tument.
 Quin & Lympha suas huc transfert forsitan undas,
 Ne totum sævis immoriatur aquis.
 Exilemque Paris sexti dat portio Nervum,
 Portio, cui Stomachus nomina prima dedit.
 Huc Ureteres (variô quos nomine *Cous*
 Indigitat) series justa referre jubet.
 Quid præstent? ex voce patet. Nunc actio Renum,
 Quam circâ autorum mens variare solet,
 Exponenda tibi est; licet his Arteria Magna
 Et Vesica, arctô confociata modô,
 Sat doceant, hujus faciat quid fabrica partis?
 Scilicet appulsum segregat illa serum.
 Atque hoc temperies & conformatio Renum,
 Vasaque, ceu dixi, plurima sponte probant.
 Frustrâ igitur quidam vim talem Renibus esse,
 Unde queant semen progenerare, volunt.

Néc movet Ausonii nos exhortatio, quando :
Utere Rene tuo, casta puella! canit.
 Valvula venarum, quibus est à Spermate nomen,
 Dum versùs Testes clauditur, omne satis
 Hoc exponit opus. revehunt à Testibus, auctum,
 Sanguinis ad Renes exsuperantis onus.
 Interea pretium est operæ, discrimina nôsse,
 Viscere non unô dissociante serum.
 Hæc igitur paucis tibi nunc ostendere verbis
 Conabor, patulâ quælibet aure bibes.
 In reliquis discreta locis cum sanguine semper
 Venifluente Seri copia juncta manet :
 Ast aliter fieri heic in Renum cernimus undâ,
 In quâ planè aqueus ponitur usque liquor.
 Nec porrò rapidus quem fert Arteria fluxus
 Sanguinis, hîc stimulos efficientis habet;
 Pleraque temperies peragit nam munera Renum,
 A quâ structuram dissociare cave.
 Esto, sanguineus Renes etiam affluat humor,
 Nuda nec existat, qui venit humor, aqua;
 Hinc tamen Hæmatosi propriè, primôque labore
 Ferre quis addictam non benè dicet opem.
 Quisvé negare queat, quem mittit Aorta cruorem,
 Præcipuâ laticis parte referre typum?
 Quin mecum tandem, quò vergant omnia, cerne,
 Diversosque operum mente revolve modos;
 Partibus hisce Seri, dices, secretio regnat,
 Nec nisi Ren falsas ejaculatur aquas.

GLANDULA RENALIS.

Insuper externâ Renum quæ parte quiescit,
 Unica Renalis Glandula utrinque patet.

Est

Est superinjectum quasi Renibus utraq̃ue corpus,
 Haut procul à Venâ quod solet esse Cavâ.
 Hujus non solida est, cava sed substantia, parvâ
 Vix minus admittit quæ cavitare pisum.
 Ut verosimilem parvi tibi corporis usum
 Exponam, brevibus, quid videatur, habe:
 Excrementitium quem bilis copia succum
 Sanguinis in massa fervidiore fovet,
 (Seu Jecoris, Cordisq̃ue simul, seu deniq̃ue Splenis
 Crassior adscribi debeat is vitio,)
 His asservari capsis, vinctiq̃ue retentum,
 Hincq̃ue nigram urinam fortè venire, reor.
 Si tibi displiceat mea conjectura, licebit
 Commutare aliâ; nam meliora sequar.

URETERES, & VESICA.

Instar aquæductûs *Ureter* quisque videtur,
 Vesicæ ingrediens, ore patente, latus.
 Hos equidem suprâ tetigi, tamen admonet ordo,
 Hocque etiam repeti poscit uterque locô.
 Adde, quod insignis connexio tædia tollat,
 Sæpiùs hinc etiam vel repetita placent.
 Hæc igitur præfata meos, *Prosectio*, cursus
 Pergo, tibi urinæ propositura vias.
 Nulla Seri tenuis fit transudatio, nullis
 Influit Urinæ copia pressa poris.
 Sat patet introitus, quamvis obliquior ille
 Vascula contingat spermatis, in maribus.
 Non rarò hinc Venerem Renalis calculus urget,
 Et tristi ejaculat semen amore Dolor.
 Deniq̃ue *Vesicam*, quæ pelvis sede locatur,
 Et, quod agit proprium, conspiciemus opus.

Eminet hæcce suo, sine nexu, libera, fundô,
 Quò satis extendi, cedere quové queat.
 Pars hujus, notô cervicis nomine gaudens,
 Omnis in Urethrae definit arcta cavum.
 Carnosô investit cervicem Sphincter amictu,
 Musculus hoc nomen nactus ab officiô.
 Sic instructa suos peragit Vesica labores,
 Urgentesque usus portio vilis habet:
 Excipit hæc falsas sinuosô ex gurgite Renum,
 Collectasque suô tempore reddit aquas.

UTRIUSQ; SEXÛS PARTES, GENERA-
 TIONI DICATÆ.

JAm prius, ac, imi ventris regione relictâ,
 Ad medios pergam, progrediarque sinus;
 Admiranda Hominis generatio mentis acumen,
 Non minùs ac oculos postulat, ecce, tuos.
 Ergò, quibus peragatur opus tam nobile membris,
 Jucundâ potero quâ brevitate, canam.
 Fortè, quòd in nostrâ nullum tu fronte ruborem
 Cernis, sic animum fronte carere putas?
 Meque puellarum censes ex ordine earum,
 Quas dudum frontem perfricuisse patet?
 Ne, quæso, pectus tam vilis opinio vexet,
 Prostratâque agiter religione, cave!
 Virgineô semper *Profectio* casta decore
 Splendet, & expansos monstrat honesta sinus.
 Quin detecta regit moderante silentia velô,
 Nec nisi discendi mota calore secat.
 Obscœnum nihil est oculis, mihi crede, pudicis;
 Si modò desideres discere, adesse licet.

Affer

Affer Vestalem, sed pelle Cupidinis ignem,
 Hic oculos lædit, sed juvat ille, tuos.
 Organa primum igitur Maribus concessa videbis,
 Mox, quibus & Mulier gaudeat ipsa, dabo.
 Quæ tibi monstravi, spermatica vasa vocantur,
 Hæc etenim proprio munere sperma parant.
 Et, quòd pampineos imitentur singula ramos,
 Conveniens formæ quæque vocamen habent.
 Succedunt *Testes*, quorum labor omnis in hoc est,
 Ne sobolis pereat spes, sterilis que vacet.
 Error Aristotelis nonnullis inde notatur,
 Quod nihil ad sacra hæc his opus esse velit.
 Longè aliud minimis turgens substantia Vasis
 Innuit, absque quibus pondus inane forent.
 Laudamus veteres, sed nostris utimur annis,
 Plurima queis, alios quæ latuère, parent.
 Sic Lymphæ ductus observas Testibus esse,
 Quos ignorarunt secula docta diu.
 Huc Arteriolis fert symbola sanguine plenis
 Naturæ genius, semen ut inde paret.
 Candida Nervorum nec deficit hisce propago,
 Quæ plerunque quidem suevit adesse duplex:
 Alter ab inferiore trahit sua stamina plexu
 Intercostalis furculus, ecce! Paris:
 Alter at à tenerâ spinalis mole medullæ
 Surgit; & exili tramite uterque meat.
 Cremasterque suos adjungit Musculus actus,
 Ut melius totum promoveatur opus.
 Hinc suspendit onus, ne Testis pendulus illam
 Vasorum aggeriem deprimat, aut laceret.

Testi-

Testibus incumbit varicoso corpore turgens
 Valculum, & asservat spermatis, omne penu:
 Sicque refrenatur nimum laxata libido,
 Et tempestivas discit amare moras.
 Plura quidem restant tali super argumento,
 Sed servabo aliis commemoranda locis.
 Quare ad Fœmineum te nunc deduco cadaver,
 Ut videas patriæ splendida testæ casæ.
 En! binos iterum Testes, ceu vidimus antè;
 Sunt tamen exiles, interiùsque latent:
 Parvula in his lustras feliciter ova recondi,
 Ova maritatis, virginibusque data:
 Hæc effœta Viri fœcundat sperma, vicensque
 Addita per cœcas Testibus aura Tubas.
 Insuper occurrunt eadem, sed tramite recto,
 Vascula, jam dictis prædita muneribus:
 Hoc parat, illud opus defert, servatque paratum,
 Cuncta suas obeant ne sine lege vices.
 Maturusque tumet sic justò tempore Venter,
 Atque suas profert hortus Amoris opes.
 Ecquis ager? rogitas. Ubi, quem tot laudibus effers,
 Hortulus? heu! tenebris obruta quæque jacent!
 En! genus omne hominum mediis ex partibus ovi est,
 Nascendi que sumus conditione pares!
 Hanc Uteri celebrant, queis curæ est, nomine partè,
 Dicitur & Matrix, matris ab officio.
 Mole quidem parva est, sed viribus ardua præstat,
 Heic rerum genetrix maxima mira facit.
 Inde etiam tali formâque situque locatur,
 Extendi tunicis quò foret apta suis.

Plura

Plura tibi possem de Fætûs dicere vitâ,
 Et quàm mirandô stet, valeatque modô;
 Queis se defendat tunicis; an parvulus aurâ
 Victitet, & medias Embryo findat aquas?
 Num solô soleat nutriri sanguine matris,
 Ore vel & Chyli limpidiora bibat:
 Verùm sic validis nimium mea carbasa ventis
 Nauta darem, portûs nescius ipse mei:
 Contractis potiùs rapidos heïc sistere cursus
 Velis, & cœptas præstat inire vias.
 Hoc igitur Natura sinus ostendit amictu,
 Ejus & hac ipsâ sede superbit honos.
 Inter Vesicam & Rectum simul Intestinum
 Humani generis capsula prima nitet!
 Hæc Reges, Priamosque tulit, turbamq; Quiritum,
 Rusticus hosque suos dixerit esse lares.
 I nunc, qui cristas extollis, cerne Mephitim,
 Ex quâ, quisquis ades, natus olente venis!
 Tu quoque qui jactas antiquæ stemmata gentis,
 En! cunas, primùm queis requiescit Homo!
 Natales perpende tuos. mirabile corpus
 Sanguinis ex guttâ profiliante venit.
 Tecum habita, semperq; Deum, fabrumq; potentẽ
 Suspice, & artifices devenerare manus.

MEDIÆ REGIONIS, SIVE THORA-
 CIS PARTES.

Postquam visa satis, versuque notata fuere,
 Corporis hac imâ quæ regione latent;
 Ad medium properare jubet nos regula Ventrem,
 Prima ubi vitali flamma calore micat,

Stat

Stat Costis, Sternô que suô durable Pectus,
 Thoracemque gerit, ceu cataphractus eques.
 Scilicet hoc Regis folium custode securos
 Cor peragit vitæ, distribuitque dies.
 Nec tamen omnis abest decorans hæc atria splendor,
 Aut in vestibulo gratia nulla sedet;
 Quin potiùs spatiata suas Natura per oras,
 Heïc ingens posuit munificumque decus.
 Et prodesse sagax, & delectare parata,
 Dotavit Sexum pignore utrumque suô.
 Hinc utriusque nitet signatus robore Thorax,
 Et gaudet Mammis Vir Mulierque suis.

M A M M Æ.

Femineum excellit formosô pectore corpus,
 Mammula cui duplex orbiculata tumet.
 Quare his præcipuum mens est sacrare laborem,
 Sæva nec offendet mortua membra manus.
 In mediô, ut cernis, cubat utraque pectore Mama,
 Denudans, tepidus qui solet esse, sinum.
 Jam riget, & nullum Cordi vicina calorem
 Percipit, extinctas testificata faces.
 Non tamen omne abiit Mammis, periitque decorum,
 Tollit adhuc niveos Forma rotunda globos.
 In parvis equidem latitant hæc poma puellis,
 Et vix indicium blanda papilla facit;
 Ast, ubi virgineis accrevit floribus ætas,
 Ad digitos surgunt utraque mole duos.
 Pendula sed vetulis flaccescit mamma, nec ullas
 Exhibet exhaustô glandula fonte notas.
 Porrò duas Natura dedit, quò sana dolentis
 Proficuum posset sustinuisse vicem.

His

His perlustratis, sequitur divisio Mammæ,
 Quam cum Mammillâ pulcra papilla dabit.
 Hæc fungosa quidem pars est, sensuque sagaci
 Pollet, & ad tactum suaviter erigitur:
 Heic etenim teneros subtilia vascula fines
 Jungunt, & tacitò sensus amore coit.
 Virgineas pingit concinna rubedo Papillas,
 Sicque fidem puri sanguinis illa probat;
 Sed quæ lactis alunt infantem nectare matres,
 Purpureò gaudent hocce colore minùs,
 Livida quin potiùs protuberat hisce papilla,
 At verò effœtis nigrior esse solet.
 Præterea in mediò sunt parva foramina nodò,
 Lacteus ut facili defluat humor ope.
 Hinc patet utilitas cantatæ magna papillæ,
 Hac sine tùm frustra, tùm malè Mamma tumet.
 Urgeat hoc ut opus, placitò Natura calore
 Titillans matres admonet officii.
 Interior Mammilla suos jam ponit amictus,
 Et tunicâ abjectâ Glandula multa pater.
 Durior hæc castas commendat sæpè puellas,
 Atque renitentis signa pudoris habet.
 Sæpè magis turget, si prægnans causa resurgat,
 Lactantiq̃ue vices obsequiosa gerat.
 Fracta sed immundò meretricibus ubera tactu
 Pendent, admissos significanque procos.
 Sed quosnam, rogitas, tam plurima glandia fructus
 Plena quibus Mammæ portio tota, ferunt?
 Scilicet hic locus est, ubi fit generatio lactis,
 Circumfusus adeps quam juvat, atque calor.

Fermen-

His

Fermentum accersit, præfertque recentior Ordo,
 Sicque modò propriò lac generare putat.
 Namque Calor potius talem vitare liquorem
 Creditur, & niveas perdere sæpè dapes:
 Præcipuas forsan Fermenti Spiritus implet
 Partes, & regimen Vis animalis obit.
 Turgidulasvé bibit sic infans ore papillas,
 Ac incrementum matris amore capit.
 Hinc quoque diversis gaudent hæc pocula vasis,
 Unde coronentur, nectare plena suò.
 A truncò rivos Arteria magna supernò
 Transfert; thoracis dant quoque vasa suos.
 Sed superis Venas thoracica vascula ramis,
 Et queis Mamma dedit nomina, contribuunt.
 Quosque vides Nervos, etiam ex Thorace feruntur,
 Inde, velut dixi, sensus amicus adest.
 Præterea tubuli niveò candore nitentes
 Mammaram ad centrum, vase minore, meant
 Hisque redundantis servari munera lactis,
 Lactandi officiò languidiore, volunt.
 Hinc sed in utramvis pendens sententia partem
 Exercet celebres cognitione viros;
 Quævé solent dici concordis pomula Amoris,
 Verè Eridos pomum facta fuisse putes:
 Sunt etenim, sanguis queis lactea pocula complet,
 Materiamque suam vasa per alba vehit:
 Sunt, quibus ex chylo tubuli turgere putantur;
 Utraque pars armis militat egregiis.
 Quamvis multa satis certent pro pondere Chyli,
 Sanguinis excludi vix tamen unda potest.

Forli-

Forsitan adveniēns occultos porrò meatūs
 Eruet, & litem tranſiget hancce dies.
 Sic igitur Mammās luſtravimus atque Papillās,
 Et, quantā tumeant utilitate, patet.
 Scilicet haut omnes ornatūs gratia partes
 Occupat, illecebris infidiosa ſuis;
 Longè aliud monſtrat mammarum maxima Mamma,
 Innumeros foetus quæ fovet una ſinu;
 Exemplò Natura ſuò docet optuma matres,
 Et proprium natis lac dare, prima jubet.
 Cur ergò alterius fidei tua pignora credis,
 Defraudasque tuò, dira noverca, ſinu?
 Urgent illa tuæ lactantis munera Mammæ,
 Hinc tibi diſtentæ, cumque dolore tument.
 Tantane natorum lactatio tædia habebit,
 Inferior brutis mater ut eſſe velis?
 Deliciisque ſuis poteritne movere Voluptas,
 Exuat ut ſenſum, qui ſimulatur Amor?
 Audi, clamat inops, lacrymisque infantulus iſtat;
 Eſt is, adhuc uterò qui rubet ecce! tuò.
 Quæ peperit, fateor, genetricis nomine digna eſt;
 Quæ nutrit, matris nomine digna magis!

C O R.

Pergimus ad Vitæ, directò tramite, fontem,
 Quò ſine mortalis vivere nemo poteſt.
 Heic etenim ſanguis ſua prima exordia fundat,
 Heicque iterum moriens ultima fata ſubit.
 Jam ſciſſò Thorace patet, ſternòque remotò,
 Arx animi, tunicâ quæ benè recta viget.
 Ecquid aqua hæc? rogitas. Cordis contemperat igne,
 Cordis, quod mediâ ſe ſtatione locat.

D

Stru-

Structuram variâ concinnat Musculus arte:
 Nec tamen hoc propriè dixeris artis opus:
 Est Natura sacros Cordis quæ dirigit actus,
 Hac vigil æternum Vesta alit æde focum.
 Seu jam Fermentum, seu Spiritus illa vocetur,
 Pingitur obscuris Corporis umbra modis.
 Constans Naturæ vis & mirabilis ordo,
 Humani ingenii non imitandus ope,
 Intima cum Cordis thalamò sibi fœdera sanxit,
 In primò quondam Seminis orsa sinu.
 Regia ventriculis tumet hinc discreta duobus,
 Quos totidem auriculas condecorare vides.
 Rectè equidem vulgò: Venter caret auribus, ajunt;
 Num de Cordis idem dixeris hoc fabricâ?
 Namq; etiam Mentis Cor non sine murmure motus
 Percipit, & testis fungitur officiò:
 Ast aliis servata locis mittamus, & ipsos
 Cordis Ventriculos hac adæamus ope.
 Ecce, Sinus dexter superat cavitate sinistram,
 Attamen hic illò crassior esse solet.
 Naturæ studium est, non lusus; namque sinister
 Major in augendò sanguine pondus habet.
 Hinc ibi purpureò magis hæc saturata colore
 Massa, & trusa magis fontis in orbe salit.
 Transversumque simul Septum, discrimen utrique
 Concilians Sinui, mente manuque nota.
 Namque per hoc multi tenuem transire liquoris
 Sanguinei partem, sed sine teste, docent.
 Naturam appello, fieri quæ posse negabit,
 Et ratio in promptu: Pervia nulla via est.

Auri-

Auriculas, quarum nobis modò mentio facta,
 Cordis particulis annumerare volunt.
 Vicinis potiùs deberi judico vasis,
 Et calido impetui conciliare moram.
 Ne morer, ipsa statim tibi Cordis vasa recludam,
 Vasa per innumeras sueta meare vias.
 Hæc inter meritò primas Arteria Magna
 Partes, atque oculos occupat una duos.
 Hæc eadem est, aliàs quæ dici suevit Aorta,
 Excipiens strictò corde cruoris opes.
 Profilit assiduus hoc flumen nobile rivis
 Omnibus ut membris pabula læta vehat.
 Palpitat hinc validò Cor implacabile motu,
 Alternas morulâ distribuente vices.
 Ne tamen ista semel protrusa regurgitet unda,
 Non una interiùs valvula claudit iter.
 Sicque Calor partes unâ dimanat in omnes,
 Vivificatque suis viscera mille locis.
 Quod superest, revehit Venarum nobilis ordo,
 Quem decorat dextro stans Cava Vena sinu.
 Scilicet, ut fontes plerique ex æquore surgunt,
 Fluminaque assultans in mare cuncta cadunt;
 Sic quoque per varios emissa ex corde canales
 Omnis ad hunc fontem sanguinis unda redit.
 Ambulat æternum Cordis labor actus in orbem,
 Ut vitæ excellens perpetuetur opus.
 Sanguinis hic cursus Medicis hinc *Circulus* audit,
Harvèi cingens, ceu nova ferta, caput.
 Hic etenim primus refluentem sanguinis amnem
 Detectum, primò dignus honore, dedit.

Sunt equidē, quibus hoc suspectum dogma videtur,
 Præter & ingenium, laudis habere nihil;
 Verūm, pace suā, liceat mihi dicere Verum,
 Vix Arti inventum commoda plura tulit.
 Temporis hoc dudum firmavit filia, nullus
 Ut pateat dubiis, invidiæque locus.
 Nunc dicenda forent quoque Pulmonalia Vasa,
 Cordis ad ostensos surgere visa lares;
 Ast erit hæc vidisse satis. mox ambo recludet
 Pulmo, quem partim sanguine plena petunt.
 Cor igitur patriæ repetens vestigia sedis
 Inchoat ex vero quærere posse fidem.
 Dumque ex ventriculo candentem suscipit amnem,
 Et mox purpureo vestit honore, valet.
 Jam licet imperii veteres cognoscere fines,
 Ad quos ostendunt lactea vasa viam.
 Arripit ereptos iterum Cor nobile fasces,
 Cordatâque tenet reddita sceptrâ manu.
 Pristina cum niveo jam gloria fonte recurrit,
 Et dominum agnoscunt viscera quæque suum.
 Hinc micat, & tandem sua Cor præcordia sentit,
 Quævé aliis cessit regna, redacta probat.
 Sic rediere vices; stat res antiqua vicissim;
 Regis ad exemplum jam novus orbis ovat.
 Sed quis in hunc regem fructus, quæ fata redundant?
 Anne etiam imperii Purpura membra gravat?
 Omnis honos onus est; fulgore hæc ipsa corusco
 Quæ Caput exornat, sacra corona premit;
 Sic quoque perpetuis agitatur motibus, atque,
 Unde sibi metuat, Gloria semper habet.

Cor nisi cura nihil. frangunt vel Gaudia vires,
 Dilatantque nimis Cordis utramque domum,
 Mox iterum pulcros Doloringens impedit ausus,
 Præque Metu nimio Cor quoque corde caret:
 Dumque novas subdit flagrans Insania flammæ,
 Heu! miserum sterilis pectus adurit Amor.
 Quod iuvat exiguum est, mens oppugnatur amanti,
 Ut lapis æquoreis undique pulsus aquis.
 Exstinguatur amor, novus en; furor arma ministrat,
 Atque necaturas adjuvat Ira manus.
 Quid Desiderii tacitos in Corde tumultus,
 Languentisque Spei vota caduca canam?
 Quin sua Livor edax reliquis mox symbola confert,
 Hinc Cor tabescens rumpitur Invidiâ.
 Cor, nisi cura, nihil! repeto. Tu regna tenebis
 Maxima, si Cordis Rex eris ipse tui.

P U L M O.

Sed quorsum me, Musa, tuis fers motibus actum?
 Nonné opus, ut cœptum continuemus iter?
 Nostras ipse manus Pulmonum Follis anhelat,
 Et dignum visu se quid habere, refert.
 Huc ergò, inque viam mecum secede relictam,
 Doctrinas inhians, scitaque vera, comes!
 Occupat insigni Viscus memorabile mole
 Pectoris in medio quicquid utroque vacat.
 Thoracisque cavum, divisis partibus, implet,
 Complectens gemino Cordis amore focum.
 Indice Pulmonum mollis substantia tactu est,
 Si que fides oculo, tota repleta poris.
 Plurima quin vario constans vesicula plexu
 Omnem texturæ datque tenetque modum.

Aspice nunc vasa hæc, quæ commemoravimus antè,
 Et Pulmo obtinuit mollior ampla satis,
 Ut sic liberior collecti sanguinis esset
 Transitus, atque moras copia nulla daret.
 Hunc variâ cursum sunt qui ratione negârunt,
 Sed structura aliud, vasa, oculique docent.
 Namque per hos dives dum fert Arteria ductus
 Purpurei affiduo fonte cruoris opes,
 Omnis in his stagnans vasis vitiabitur humor,
 Ceu vitium capiunt, nîm veantur, aquæ.
 In Venasigitur, valvâ prohibente regressum,
 Perget, & hoc ipsum sectio viva probat.
 Ast hæc sufficient de Vasis, queis modò Pulmo,
 Mox structura dedit nomen & officium.
 Insuper exiles sparguntur adextima Nervi,
 Ne tener affiduo Pulmo dolore ruat.
 Quem verò hic præstat vesicis turgidus usum?
 Forsitan immoto corpore dormit iners?
 Invenias equidem, quos talis opinio totos
 Occupat, at nostris displicet illa modis.
 Res aliud suadet; nec enim Diaphragmate moto
 Evigilat tantùm in torpida massa simul:
 Nil juvat, adduxisse poros, nil plurima motûs
 Symbola, Thoracis queis patet iste vigor:
 Quin naturali Pulmo prælargus anhelat
 Instinctu, officii pars memor usque sui.
 Et sic inflatis stat Respiratio buccis,
 Quâ sine ne minimum Vita valere valet.
 Dum respirat homo, sperat, cumque aëre sumit
 Occultos oculis corporis ille cibos.

Et veluti Pulsus, quo Cordis fabrica gaudet,
 Palpitat alternis, perficiturque moris;
 Sic quoque distincto ducit sua tempora motu
 Spiritus, & requie roborat aura vices.
 Non tamen, ut Veteres quondam voluere, laboris
 Esse utriusque eadem cura scopusque solet:
 Scilicet illius Cor motu alimenta ministrat,
 Cordis at innatum temperat hicce focum.
 Sed quid in hoc celebri desudans occupor usu,
 Cum sine concinnò gutture nemo canat?
 Non equidem neglecta hujus mihi fama Canalís,
 Ordo nec, immemorem qui vetat esse, jacet:
 Quin potiùs propriis volui decorare corollis
 Bronchia, distinctum quæ meruere locum.

ARTERIA ASPERA.

Aspera nunc igitur nobis *Arteria* præstò est,
 Omnimodâ interiùs quæ asperitate caret:
 Attamen externam faciem discrimen adumbrat,
 Atque superficies hæc minùs æqua nitet.
 Hinc sua dant Cannæ manifesta exordia Fauces,
 Dictaque sed finem Bronchia constituunt.
 Ipse vides, hujus quæ sit substantia partis,
 Ac primo intuitu tota figura patet.
 Hinc aliis, quam penè refert, communiter audit
 Fistula, & à nobis Canna vocata fuit.
 Omnibus haut eadem, quin & crescentibus annis,
 Cum spatiosa patet, vox gravis inde sonat.
 Percupis haut dubiè jam noscere Vasa Laryngis,
 Quamvis non multi sanguinis ille fiet:
 Advehit ad fauces vitalem *Arteria* succum
 Atque redundantem *Vena* reducit inops;

Illa habet à ramo majore Carotidis ortum,
 Hæc à processu sed Jugularis adest:
 Quin observata est nonnulla Arteria, (ramo
 Bronchia transmittunt quam mediante suo)
 Aque Cavæ veniens insigni Vase propago,
 Gutturis in cannam flectere rursus iter.
 Tumque recurrentes dat sexta jugatio Nervos,
 Quin & quintum aliquos Par quoq; suppeditat,
 Adjacet ad Linguae radicem glandula duplex,
 Quæ Tonsillarum nomine utrinque venit.
 Hæc tibi de longâ per collum abeunte Trachæa,
 Sicque unâ volui dicere vocis iter.
 Nil superest, adeoque statim, Thorace relictô,
 Supremi licitum quærere regna soli,
 Inque Caput transferre pedes (mirabile dictu!)
 Moxque secare Oculos, clariùs ut videas.

SUPREMÆ REGIONIS, SIVE CAPITIS
PARTES.

CEREBRUM.

Collige lassatos rerum tot imagine sensus,
 Tendit ad æthereas ardua cura plagas,
 Arrige nunc aures, oculisque redintegra acumen,
 Haut tolerat stupidos ingeniosa domus.
 Sensibus instructam provecti Palladis arcem
 Ingredivimur, miris quæ nitet alba toris.
 Ecce! medullosum, & sat molle Parenchyma, firmis
 Quod Natura parens muniit aggeribus.
 Scilicet hos muros polcebat regia sedes,
 Et Cerebri, assiduò dignus honore, status.

Præ-

Præcipuos describit ibi Calvaria fines,
 Effigians proprio visceris orbe situm.
 Ad latus hinc depressa parùm consistit utrumque,
 Conveniens rebus forma rotunda sacris.
 Exprimit hoc ipsò Cerebri divini orbis
 Convexa astriferi lucidiora poli.
 Insuper hæc tantâ consurgit portio mole,
 Longè ut permagno sit minor illa bovi.
 Muneris hoc varii constans perfectio pondus,
 Quæque eget usque novâ vis animalis ope,
 Depolcit; nec enim paucis viget actio multa
 Spiritibus, parvò nec valet illa lare.
 Cùm verò soleat distingui visceris hujus
 Fabrica, diversis nobilitata locis,
 Unaque pars Cerebrum, Cerebellum ast altera dici
 Sueverit, & vasis stet benè quæque suis;
 Tùm quoque per spinam mirè producta Medulla
 Adsit, non unò nomine digna cani:
 Mens est, servato Cerebri prius ordine partes
 Cernere, quàm reliquis cura laborque vacent.
 Ipsum igitur *Cerebrum*, duplici jam matre remotâ,
 Anfractusque, quibus pars scatet illa, vide.
 Suprà equidem, & rectè, sat molle Parenchyma dixi,
 Mollities vario gaudet at ista gradu:
 Scilicet exterior minùs est substantia mollis,
 Hinc lenti nomen *Corticis* illa gerit;
 Interior sed, pingue velut cereumque, liquefcit,
 Ut meritò dici jure *Medulla* queat.
 Utraque quin etiam differt plerumque colore,
 Illa refert cineres, hæc magis alba nitet.

D §

Quin

Quin densa Illius substantia, Glandulæ ad instar,
 Creditur exiguis tota scatere globis;
 Hujus at innumeræ Radices, Vasaque molem,
 Rorida spirituum queis fluit unda, replent.
 Ventriculos porrò, Falcis discrimine, binos
 A regione sitos anteriore, nota.
 Heic etenim quondam fieri generatio multis
 Credita spirituum, sed tamen absque fide.
 Janua nulla patet, nulla hinc connexio Nervis
 Apparat introitum, spiritibusque favet.
 Nititur infirmis vulgaris opinio fulcris,
 Et frustra auxilium sperat ab ingenio.
 Spiritus ac fæces vix unâ sede morantur;
 Sentinam hos potiùs dixeris esse sinus.
 Quin potius monstrare decet, quæ corpora primùm
 Detexit *Willis*, quævé *striata* vocat:
 Suntque duo numerò, & radiorum plena coruscant;
 Heic sua Communis munera Sensus agit.
 Sed quid de reliquis fiet cavitatibus? inquis,
 Queis etiam imponunt nomina Ventriculi?
 Nescio, cur tanti spatia hæc sinuosa putentur,
 Quidvé queat quartum nobilitare locum?
 Rem, velut intentis digitis, Connexio monstrat,
 Hæcque loca excretis cuncta vacare, docet.
 Namque Infundibulum, pelvi tubulòque decorum,
 Omnes ventriculi, (cernis ut ipse) petunt.
 Processusque alii, diversâ quisque figurâ,
 Adsunt, vix digni, quos mea Musa canat:
 Haut etenim licet hos, nisi frictâ fronte, vocare;
 Quin magis obscœnos vel locus ipse facit:

Nam

Nam quis, quæso, Nates, Penē cum Testibus; ecquis
 In Cerebro Vulvam posse habitare, putet?
 Et tamen huic tales, pudor heu! sociare sodales
 (Quò Ratio indigeat fors Ratione?) placet!
 Mittamus, quibus est, itala scivite, voluptas,
 Quando hæ particula debile pondus habent.
 Nec nisi, quem Pini cognomen honestius ornat,
 Processum verfer mente manuque labo.
 Hunc reticere, nefas; quia vel *Cartesius* ipse
 Insignem variâ commoditate notat.
 Hîc, velut in centro, tacitis objecta cientur
 Motibus; hos omnes excipit unus apex:
 Mox simul idéas, quæcunque à Sensibus adsunt
 Externis, Animus cernit ut in speculô;
 Discernitque omnes, cogitque subire tribunal,
 Mittit & ad Nervos, arbiter ipse, suos.
 Scilicet hos præstat tam Glandula nobilis usus,
 Unde etiam Coni fert ea ritè typum.
 Omnis in hac Mentis celebratur curia parte,
 Consiliôque regit quælibet una suô.
 Sic equidem subtilis amat perhibere Magister,
 Sicque Scholæ, novitas quas movet illa, docent.
 Sed nondum nobis licuit tam cernere acutè,
 Aut Verum latitans hoc reperire locô.
 Ingenium, fateor, sapit hæc sententia, laude
 Defraudare suâ quod pia Musa vetat;
 At nobis fas sit, laudati more magistri,
 Hoc prius in dubiam dogma vocare fidem,
 Quàm nostri assensûs firmemus pondere, quamvis
 Forsitan haut magni ponderis istud erit.

Ecquis

Ecquis in exili species hoc corpore rerum
 Repraesentari, te rogo, posse putet?
 Quae tam vilis erit Rationis Glandula sedes?
 Huncne velit sapiens Mens habitare larem?
 Tangitur en! nullis abjecta haec portio nervis,
 Quin excrementis tota subinde scatet.
 Sed detur; huc tandem paucos appellere nervos,
 Quid reliquis fiet, quaeis ea clausa via est?
 Destituent igitur quosdam haec commercia sensus,
 Sedeque de propria deicietur Homo!
 Quid! quod in exiguo fierent si talia Cono,
 Grande idearum surgeret inde chaos.
 Forsitan haec causa est, quod defensoribus ipsis
 Haec tenus incerto res eat illa pede.
 Hinc dubiis mentem satagunt exponere verbis,
 Quisque modestorum voce: *Videtur!* ait.
 Saepius en! Ratio miram deluditur arte,
 Ut nova, quod nova sint, mens quoque vera putet.
 Ergo relinquatur tutrici Glandula Sectae,
 Ut sapiat, quantum hac noscere parte datur.
 Nostram aliò revocant peragenda negotia mentem
 Atque oculos, Cerebri cernere Vasa, jubent.
 Vasa quid ex sanguis Cerebri, quid inania profers
 Nomina? sic regeret Pullus Aristotelis:
 At verò innumeris haec cum substantia Vasis
 Turgeat, è pelvi fulgura fortè times?
 Quin excusemus (quoniam subtilia valde
 Vascula plura latent) scita reducta Senis.
 Quod si sanguifluis pars ductibus ista careret,
 Quam tandem, rogitò, dic, aleretur ope?

In rem præsentem te ducam; nunc mihi Venas
 Cerne capillares, parvula Vasa vide!
 Nec majora quidem Cerebri natura volebat,
 Cùm præceps sanguis maxima damna ferat.
 Unde sed adveniant utriusque hæc vascula classis,
 Obvius haut adeò est significare labor.
 Ex Ramò internæ majore Carotidis adsunt,
 Quas arteriolas ima subire vides.
 Sanguinis ex primò fluit hinc alimonia fonte,
 Vitalique alitur nectare, quicquid eget.
 At Venas refluo turgentes sanguine, Ramus
 Porrigit interior, quem Jugularis habet.
 Hic simul innumeris miranda frequentia Vasis
 (Sæpè manum exercens, ingeniumque) coit:
 Unde etiam duplex ostenditur ordine Plexus,
 (Sed magis in brutis cernere utrumque datur,)
 Anteriore sinu Cerebri dextròque sinistròque
 Ille hæret, circa sed basin iste sedet.
 Sphænoïdisque nitet Sellæ vicinus Equinæ,
 Totque arteriolis se fovet ipse suis.
 Personat hinc toto mirabile Rete theatro,
 Namque animalis ibi Vis rudimenta subit;
 Spiritibusque suis optata alimenta parantur,
 Absque quibus Cerebri nobile languet opus.
 Scilicet hos miros producere creditur usus,
 Queic doctis posuit retia Rete Viris.
 Jamque meam, video, pariter te poscere opellam,
 Artificesque simul sollicitare manus.
 Sed quid in humano monstrari corpore poscis,
 Quod nusquam manibus, luminibusque patet?

Quo

Quò magis inquiris, minùs apparebit; acumen
 Mox hebes, & Rete hoc ens Rationis erit.
 Sic igitur tandem mirabile desinit esse,
 Seque fides plexu liberat ipsa suo.
 Altera pars Cerebri, *Cerebelli* nomine clara,
 Nunc in conspectum, mole minore, venit.
 Occupat hoc capitis posticam debile partem,
 Nescio, cur vacuam dicat Aristoteles?
 Ipse etenim spectas, satis occiput esse repletum,
 Hac partis quantum pro cavitate licet.
 Ex quatuor variis procedens forma resurgit
 Partibus, & sua dat nomina cuique situs.
 Illæ sunt mediæ, laterales hæcce vocantur,
 Vermibus has confert, hasque figura globis.
 Non minùs, ac Cerebrum, *Cerebellum* Cortice gaudet
 Atque Medullâ etiam; sed variante modo:
 Durior est etenim geminæ substantia partis,
 Cortex obscurus, flava Medulla magis.
 Tumque superficies, Cerebro collata, minores
 Anfractus propter, planior omnis adest.
 Quin & in his gyris reperitur pulchrior ordo,
 Quem pia tum mater, tum quoque vasa struunt,
 Vascula per tenuem meningem plura feruntur,
 Et dispersa quidem, retis ad instar, eunt.
 Hæc Cervicalis dat multo Arteria Ramo,
 In quartumque abeunt denique cuncta sinum.
 Digna etiam visu Nervorum argentea Fila,
 Quorum utrinque decem deteget apta manus.
 Hæcque suo minimè fraudandus *Willis* honore
 Præstitit egregium sedulitatis opus.

Tu mecum sequere Artificem; distincta videbis
 Singula, quæ doctis explicat ipse libris.
 Par, quod odoratum juvat, ordinis agmina ducit,
 Processu tangens anteriora suo:
 Excipit hoc oculis sacrum. serieque secundum,
 Et, quod consequitur, lumina dicta movet.
 Quarta sed exiguos monstrat connexio Nervos,
 Quæis mentis motus mens docet ipsa suos.
 Hoc Par octavum *Fallopini* esse recenset,
 At nobis *Angli* pulchrior ordo placet.
 Conspice nunc Quintam, (quæ vulgò Tertia habetur)
 Compagem; hæc quartam grandior esse solet;
 Hinc quoque majorem variis fert partibus usum,
 Quas dives ramis ornat ubique suis;
 Hac facies, oculi, nasus, cumque ore palatum
 Communi gaudent atque fruuntur ope.
 Prætereaque duo succedunt, hisque minores
 Nervi, qui Sextum par tibi constituent:
 Motores utriusque Oculi comitantur, & omne,
 His quod inest Nervis, Orbita nacta bonum.
 Proxima quæ sequitur compago, pergit ad aures,
 Ut proprio arripiant verba recepta sono.
 Octavum numero nobis nova sectio monstrat,
 Par, (alii sextum sæpè vocare solent,)|
 Pluribus hoc nervis constat, varièque vagatur,
 Hincque vagi nomen convenienter habet.
 Hoc subtus Nonum se multis ordine fibris
 Par aperit, linguæ commoda multa ferens:
 Infra hoc, occipitis postremam parte reclusam,
 Ultima nervorum copula claudit iter.

At

At, velut in biviô, dubios nanciscitur ortus,
 Dum sibi Spina illam vindicat, atque Caput.
 Hi sunt conspicui Cerebri sub tegmine Nervi,
 Monstrat & hoc omnes ordine docta manus.
 Scilicet, inventis facilè est quædam addere rebus,
 Instruet, exactos hora futura dies.
 Et tamen antiquæ sua constat gloria genti,
 Nec nisi, quæ nova sunt, facta vetusta placent.
 Jamque tibi Cerebri, Cerebelli jam tibi tandem
 Usus dicendi, lege jubente, forent:
 Sed prius eductam cerebri de fonte *Medullam*,
 Spinali Trunco quæ parat orsa, vide.
 In capitis concepta latet mirabilis orbe,
 Perque patens Cranii porrò foramen abit,
 Inde suos pergens per Dorsi compita cursus,
 Ossis ad extremum dum sit adacta sacri.
 Scilicet hæc eadem pars est *argentens* iste
Funis, quem nobis Pagina sacra canit.
 Principiô satis ampla suô est, & crassior exit;
 Matre piâ partes constituyente duas:
 Se voluit duplici Natura hac parte tueri,
 Ut, languente unâ, salva secunda foret.
 Insuper in plures discinditur, (instar equinæ
 Caudæ) funiculos, heic, ubi finis adest.
 Integitur triplici membranâ, dat pia primam
 Mater, at è durâ matre secunda venit;
 Tertia & exterior natales, teste *Galenô*,
 A valido dorsum fune ligante petit;
 Atque hinc robustam mox desinit hocce ligamen
 In tunicam, partis posteriore locô;

Tutiùs

Tutius ut fieret varians extensio Spinæ,
 Nec caperet flexo damna Medulla situ,
 Ossea, ceu Cerebrum, compages, Calva, rueret,
 Sic & Verticulis clausa Medulla viget.
 Quilibet hunc etenim toti dat Spondylus usum,
 Quô dudum meruit Fistula Sacra cani.
 Quæ de Ventriculô nunc quartô dicere possem,
 Negligo, ne crambe bis tibi cocta detur.
 Niligitur restat, Cerebri nisi magna referre
 Commoda, diversis conspicienda locis.
 Heïc ipsam residere Animam, quæ nomine Mentis
 Gaudet, multorum nobile dogma fuit:
 Scilicet hac fulget reverentia Palladis arce,
 Atque caput rerum fertque tenetque Caput.
 Nostra sed adversam sequitur sententia partem,
 Quâ thalamum Cordis gloria tanta manet.
 Nec tamen addictum Cerebro turbamus honorem,
 Ipsa licet Cordi regia prima detur.
 Eminent in Cerebro Regis non una Facultas,
 Divinum Mentis testificata jubar.
 Hocvé suo candore docet mirabile Viscus,
 Vim suctum innumeris exseruisse modis.
 Spirituum fœcunda novis generatio rebus
 Munus inaccelsô perficit omne focô;
 Huncque ministratâ Vitalis Flammula luce,
 Atque penu nunquam deficiente fovet.
 Dixeris hos Chymicâ peragi velût arte labores,
 Sed qualem nôrit sola ministra DEI:
 Nam licet obscuris hinc illustratio surgat,
 Naturæque magis sic patefiat opus;



Inventis hominum tamen hanc supponere noli:
 Hoc foret; Ingenio posthabuisse DEUM!
 Sic viget æthereis Sensatio sedibus orta,
 Mentis & ad nutum Vis animalis adest.
 Stat quoque contemplans Speculatrix lumina rerû,
 Ac objectis sibi singula ritè refert:
 Accedit variis felix Retinentia donis,
 Et condit memori nomina resque sinu.
 Namque tot exiguas homini soli esse cavernas,
 Et Cerebri anfractus; quid nisi dicta docet?
 Omnibus humanæ præstat Rationis acumen,
 Remigioque regit quælibet ausa suo.
 Hac ipsâ mortalis Homo se cognita nôsse
 Percipit, & vitæ res sapienter agit:
 Imperat hinc reliquis prudens mundi incola brutis,
 Et sermone colens & ratione DEUM!
 Fallor, an ambiguis nova Quæstio motibus aurem
 Vellicat, & nostrâ se putat arte premi?
 Ante dabat Cordi, Cerebro nunc sceptrâ relinquit
 Cura, ais; an lævâ mens tibi sede sedet?
 Sed bona verba! rogo: Cordis cui regia cordi est,
 Huic erit & Cerebrum. Stat sine ventre domus.
 Cor Animæ sedes; ibi radix inclyta vitæ;
 Hujus at in Cerebro Vis manifesta sapit.
 Quid? quòd utriq; liquor, quò non præstantior alter,
 Efficiat dubium, Sanguis, ubique locum?
 Hasvé sibi reputet partes de jure ministras,
 Quæ domini nutu stentque cadantque sui?
 Non equidem volvo tantas, PROSECTIO, curas,
 Hos cultro nodos cui refecare placet:

Dispu-

Disputet, humanæ Mentis quem vexat origo,
 De Mentis pariter sede locoque, *Sophus*;
 Ast ipsam fortassè Animam prius exhalabit,
 Solvere difficiles quàm queat hasce plicas.
 Nil moror. ingenium raptat sua quodque voluptas!
 Intereà cœptam sedula pergo viam.
 Nam Cerebelli etiam video te quærere munus,
 Num socias Cerebro jungat ubique manus?
 Heïc diversa quidem subtilis dogmata profert
Anglus, at egregiò comprobat ista modò.
 Nempè Voluntari quæ subjacet actio nostræ,
 Hujus, is, in Cerebro vim residere, monet:
 Quæ verò Invitis peraguntur munera nobis,
 Hæc Cerebri Socium censet obire Decus.
 Næ! sapit arrosos studium sublimius ungues,
 Temporis huic pondus cura secunda dabit.
 Denique Spinalis non est reticenda Medulla,
 Quandoquidem officii nec caret ista suis.
 Spargit enim plures Nervorum candida ramos,
 Spirituumque tumens robur adesse jubet:
 Unde novo gaudent molimine corporis Artus,
 Et simul officium pesque manusque facit.
 Sic Cerebri plerasque dedi *Profectio* partes,
 Musâ exponendi suppeditante modum:
 Singula si vellem minimis deducere fibris,
 Immensum, fateor, nos revocaret opus!
 Verùm ludenti quædam tacuisse licebit,
 Nec Momi à nobis exiget illa Rigor.
 Ut sua maturis, sua sic crescentibus ætas;
 Est, ubi nil Sensus; est, ubi multa vident.

Cùmq; aliquando etiã magnus dormitet Homerus;
Ecquis lusuro durior esse velit ?

O C U L I.

Nunc ergò à Cerebro tua mecum lumina verte,
Hosque Oculos oculis subjice, Amice, tuis.
Parva quidem dictam complectitur orbita partem,
Quam simul haud magnũ pondus habere vides:
At prægrande subest pondus! dulcedine vitæ
Quis Visu orbatum, quæso, carere neget?
Sunt oculi Soles parvi; gratissima nobis
Pignora, quæis solus qui caret, orbe caret.
Hunc Natura situm prudenti robore cingit,
Undique quò tutus sit speculator Homo.
Hi quia custodes vigilant sub fronte ministri,
Nunc prævisa minùs tela nocere queunt,
Ipsa duos visa est Oculos perfectio visûs
Expetere, ut læso ferret amicus opem.
Interea haut duplex, ast unum, cernit uterque
Objectum; Virtus una eademque coit.
Bulbos penè refert externa figura rotundos,
Gaudet ubi canthis parte ab utrâque suis.
Hinc illæ veniunt lacrymæ, liquor ille serosus,
Quem fonte ex proprio Lympha agitata vehit:
Hoc loquitur sermone suos Ærumna dolores,
Sæpè etiam querulus vulnera fingit Amor;
Estque puellarum non infima, flere, voluptas,
Quam regit arbitriò fœmina quæque suò.
Conspice nunc, Oculis inter data tegmina binis,
Quàm digno emineat Palpebra pansa loco.
Palpebra carnosæ tunicæ quæ debet amictum,
Ad quem contribuunt Musculus atque Cutis.

Estque

Estque aliâ inferior, propriâ quam sponte moveri
 Pars statuunt, Motus vix tamen iste patet;
 Altera sed celeri niçtat benè mobilis içtu,
 Atque suis ciliis plurima verba facit.
 Fronte Supercilium stans silvâ insigne pilosâ,
 Confociat gestus sæpius hisce suos;
 Quamvis præcipuo removere pericula sine,
 Quæ possent oculis imminuisse, putem.
 Heïc Palpebrarum meritò nova Vasa notamus,
 Hactenus antiquis non revoluta Viris;
 Donec ab occulto traxit *Meibomius* ortu,
 Et doçto explicuit schemate cura viri.
 Quid velit in Cantho majore caruncula, quæris?
 Ne sint uda nimis lumina, claudit iter.
 Et jam sextuplici succedit Musculus usu,
 Quò sine quæ vultûs gratia? larva foret.
 Hac videas animi mimos se prodere scenâ;
 Exprimit heïc, quicquid Spiritus intûs agit.
 Jam sua sustollit motor, panditque Superbus
 Lumina, nunc humilis deprimit illa Miser:
 Tertius adducit, notusque bibentibus usu est,
 Quando coronatos hauris, *Jacche*, *scyphos*.
 Sed quartus torvis Indignatorius adstat
 Gestibus; hoc *Phalaris* sæpè tremendus erat:
 Quintus in orbe suo placidâ circumjicit arte
 Pondus, & obliquis fertur ad ima modis:
 Tendine sat longo tenuissimus ille rotatur
 Ultimus; hinc nomen trochlea nota dedit:
 Hi que duo ridente procant tibi fronte favorem,
 Quando bonis placidis insidiaris, Amor!

Tales, præ reliquis, proprios Tibi, *Naso*, fuisse
 Motores, lecto carmine, nemo neget.
 Infelix doctor, quàm te malus abstulit error!
 En! oculi patriò te repulere solò!
 Est modus in rebus, menti que obtemperet Usus
 Musculi, & auctori sic benè cuncta cadent.
 Totque oculi gaudet motoribus unus ad astra
 Erectos vultus tollere jussus homo:
 Bruta sed in terram quæ spectant prona, lacertò
 Suspendente oculos indiguiffe vides.
 Pergimus ad varios, propulsâ nave, Canales,
 Per quos Luminibus vitaque visque venit.
 Illa Carotidibus debetur limpida rivis,
 Vas sed abundantes fert Jugulare dapes.
 Dicere de Nervis quæ possem, plera que dixi;
 Vincula Nervorum cum tibi quæque darem,
 Membranas adeo; non tegmina dicta, sed illas,
 Quarum complexu stat que cadit que globus.
 Alba adnata patet, quæ *Conjunctiva* vocatur,
 Atque ligamenti sustinet apta vicem.
 Sæpius hac rubris oculi inflammatio punctis
 Apparet, lacrymas flente Dolore suas.
 Excipit hanc duræ matris, *Sclerotica*, proles,
 Quæ matrem genio crassitieque refert.
 Anteriore tamen pellucet parte, politum
 Ceu Cornu, cujus nomine nota satis:
 Altera succedit, duræque est proxima dictæ,
 A *Chorii* doctis cognita voce viris:
 Hujus at anterior pars assolet *uvea* dici,
 Uvæ etenim simili pulcra colore nitet.

Hæc

Hæc à matre piâ tenuem nanciscitur ortum,
 Cernitur & nigricans interiore locô.
 Uvea crassa magis, geminô que insignis amictu,
 Se variè, radiô luminis acta, movet.
 In medio anterior Tunicæ modò- portio- dictæ
 Dignum lustratu, cerne, foramen habet.
 Hoc Pupilla solet consueto nomine dici,
 Ac, ut tot species ingrediantur, adest;
 Innumeris etenim patet isthæc janua visûs
 Objectis, miro quæ capit una modo.
 Versicolor limbum Tunicæ subtermeat arcus,
 Qui cum cœlesti par quoque nomen habet.
 Est interstitium ciliare ligaminis usu
 Insigne, & fibris cincta stat ora suis;
 Harum interventu Crystallinus ipse propinquis
 Partibus egregiâ nectitur Humor ope:
 Quin etiam, quoties hinc mobilis Uvea niçtat,
 Præstò est, & parili se movet iste modo.
 Tertia nunc oculi gestit Membrana videri,
 Cui diversa quidem nomina *Rete* dedit:
 Dum verò expansum redolet substantia nervum,
 Se cerebri sobolem, non sine teste, docet.
 Albicat obscure, gracili circumdata filo,
 Et veluti mitram semireducta refert:
 Visivamque tenax speciem dum *Retina* sistit,
 Quælibet ad vivum res ibi picta nitet.
 Nec propriis membrana caret modò prodita vasis,
 Quæis alimentaris stat refluitque liquor.
 Hæc ubi deductos proserpens ambit amictus,
 Jam *Crystalloidis* nomine pulcra venit;

Pellucetque suo subtilis *Aranea* succo,
 Sicque nitens speculi nomen & omen habet.
 Denique quæ vitreum vestit Membrana liquorem,
 Hincque etiam dici *Vitrea* ritè solet;
 Undique sat tenui filorum stamine gaudens,
 Lævore affiduo parte ab utrâque mader.
 Hic equidem plures, sed parvas, cernere Venas
 Possis; ast aliò nos graviora vocant.
 Ecquis enim minimis velit usque insistere vasis;
 Difficilis nimirum næ! foret iste labor.
 Quin igitur celebres Oculorum cernere præstat
 Humores, quorum tres reperire datur.
 Excrementitii num sint? res ipsa loquetur,
 Dum cujusque Usus commemorandus adest.
 Instar aquæ primus jucundò fluxilis hæret
 Rore, nec egregiâ commoditate caret.
 Hacce madent oculis vicinæ aspergine partes,
 Ne veluti siccum fervor hiulcet agrum.
 Quin etiam objecti species augere videtur,
 Quas Pupilla suò cogit in orbe minor:
 Insuper, ut medium, nimio splendore ruentem
 Infringit modicâ luciditate diem;
 Sicque idem in tunicâ, quæ *Cornea* dicitur, Humor
 Continuat radii proficientis opus.
 Succedit fuso similis nunc undula Vitro,
 Quivè appellatur *vitreus* inde Liquor:
 Hic illò minùs est fluidus, sed pondere major,
 Format & in medio concavus orbe sinum;
 Planior anteriùs, posticâ parte rotundus
 Conspicitur, blandæ lucis utrinque capax;

Inque

Inque sinu dicto *Crystallinus* Humor inhæret,
 Cui pulvinaris *Vitreus* instar adest.
 Sat situs innotuit, dices, utriusque liquoris,
 Significes *Vitrei* nunc mihi, quæso, scopum.
 Hoc opus, hic labor est; quis enim discriminet ant
 Obtectam prorsus rem tibi tanger acu?
 Sunt, quibus arridet sententia crassa *Galen*,
 Cui *Crystalloidis* fit quasi lurco liquor;
 Esuriensque novam semper desiderat escam,
 Quam ferat ex proprio *Vitrea* Lympha penu;
Plempius antiquum merito sed dogma refellit,
 Dignius huic liquido munus adesse putans:
Crystallo similem nam si tam parte propinquâ
 Tangeret humorem *Retina* dicta prius,
 Omnia confuso radiorum lumine starent,
 Vixque in concursu vilis imago foret:
 Hinc aliò potiùs gaudebit *Vitreus* usu,
 Et species ultrà mox penetrare finet,
 Debita tot mediis radii ut *Reflectio* fiat,
 Distinctisque nolet singula quisque modis.
 Lustrandus tandem nobis *Crystallinus* humor,
 A splendore suo nominis omen habens;
 Hic etenim clarò lucet, gaudetque colore,
 Omnis ab hoc etiam lumine fucus abest:
 Scilicet ut caperet cunctos color iste colores,
 Debuit huic alius semper abesse color.
 Non adeò dura est hujus concretio fucci;
 Quæ *Glacialis* ei nomen in arte dedit:
 Insuper anticâ depressus parte videtur,
 Portio posterior penè rotunda manet.

Sic habet insignis, quem vidimus hætenus, Humor,
 Hos Natura situs, hoc dedit illa jubar :
 Nec minùs officii pulcro splendore coruscat,
 Quamvis antiquâ conditione cadit ;
 Non etenim Liquor is primaria portio Visûs,
 Fixa que nec species hoc niter ulla locô :
 Quin potiùs princeps mediorum gloria surgit
 Hoc in Crystallô, continuat que decus,
 Quicquid & admissi radiorum luminis unquam
 A primô Humorum, (cuique vocamen aquæ est)
 Excidit, hoc *Glacies* profundis colligit oris,
 Transmissum que magis projicit illa jubar ;
 Donec in exiguâ pingatur imago tabellâ,
 Retina que ad vivum res que modos que noter.
 Scilicet haut aliâ fieri hæc ratione putantur,
 Ac sisti obscurâ cernimus in Camerâ :
 Hinc oculi fabricam quicumque docere laborant,
 Hac structurâ uti, subsidiô que solent.
 Jam que patere Oculi reor abdita, tùm que videndi
 Explicitum antiquis non satis antè modum.
 Plura quidem dives dictat mihi copia rerum,
 Attamen heïc cursum sistere Musa jubet :
 Quare ex arte aliis hæc pertractanda relinquens,
 Nunc Oculis Aures subdere pergo tuis.

A U R E S.

Quas Capiti annexas humano conspicias Aures,
 In geminas partes distribuisse juvat :
 Singula sic etenim meliùs lustrare licebit,
 Ordine que, ut par est, cuncta referre suô.
 Pars ea, quæ Capiti quasi tota extrinsecùs adstat,
 Nomine communi dicitur Auricula.

Atque

Atque hanc in duplices iterum discernere partes
 Ars varium sœvit juxta utriusque situm.
 Quæ suprema sedet, nonnullis *Pinna* vocatur,
*Ala*q, nam lata est inferiore magis;
 Infima sed mollis propendet, *Fibra*q, dici
 Asolet, ac hujus portio parva, *Lobus*.
 Auris at exterior qui cernitur ambitus, *Helix*
 Audit, & oppositum vox notat apta *Scapha*;
 Inque hujus mediò cavitas insignis, & Auris
 Pars Princeps *Concha* nomen & omen habet.
 Sed quid in his vocum tricis tua cura moratur?
 Dices; num rerum te graviora latent?
 Sunt sua nominibus, nôsti, sua pondera rebus;
 Conveniat rebus nomen ubique suis.
 Ex quibus Externa hæc confletur partibus Auris.
 Nunc primo aggreditur Musa docere loco;
 Cùm verò has inter communibus annumerentur
 Quædam, sint quæ aliæ, quæis magis Auris orat,
 Ex illis parvæ cutis en! tenuissima adhæret
 Carni; tumque lobo non perit omnis adeps;
 Nervea quin etiam repeti membrana meretur
 Huic similis, vola quâ nescitur ipsa manûs.
 His benè perspectis proprias lubet addere partes
 Auris, & in cunctis utiliora sequi.
 Quas cernis Venas, illæ à Jugularibus adsunt,
 Ast Arteriolas ipsa Carotis agit;
 Exiguos promit par Cervicale secundum
 Nervos; cum vitâ hinc vis animalis adest.
 Quàm vellem, ad motum facilis ceu Musculus extat,
 Nomina tam metris obsequiosa forent!

Nunc

Nunc quādo nostris quā plurima versib⁹ obstant,
 Hærenti veniam nemo negare potest.
 Invenias homines, quibus auris bina movetur,
 His igitur Muscli sunt etiam proprii;
 Attamen has nunquam, patet, in plerisque moveri,
 Omnis enim molis Musculus exiguæ est.
 Immò etiam talis, reor, hisce superfluous esset
 Motus, quando homini sat cavet ipsa manus.
 Communes porrò Musclos properante Minervâ,
 Nec magis exactâ dexteritate dabo.
 Ex his qui primus numeratur Musculus, ecce!
 Auri communis pars & utrique labro est:
 Tumque Lacertorum primi, malasque moventis,
 Atque cutim vultûs portio certa cluet;
 Est tenuis latusque satis, *Quadrumq;* figurâ
 Dum plerisque refert, hinc quoque nomen habet.
 Auris subque lobô radici injungitur idem,
 Demissum quò sic in latus usque trahat.
 Anterior proprius simul est, numeroque secundus,
 Incumbens musclo Tempori utrique dato:
 Tertius Occipitis musclo cunabula debet,
 A Mammillari tendine quartus adest.
 Si quid Musa silet, Naturæ consule librum;
 Supplebunt oculi, quæ mihi vena negat.
 Interea pergo monstrare Parotides illas,
 Quales circa aures, exteriùsque vides.
 Censentur vulgò Cerebri emunctoria, succos
 Excrementitios quæ simul inde vehant.
 Altiùs at nostris penetravit *Steno* diebus,
 Detexitque suâ, quæ latuère, manu:

Hoc

Hoc duce, Nervorum præter quàm plurima filã,
 Et quæ sanguifluô Vasa liquore tument,
 Cernimus insignem pro Lymphæ flumine Ductum,
 Glandula quem gremiô conglomerata fovet:
 Hocvé Salivare est variô Vas nobile nexu,
 Quod nunc Externum dicere quisque solet:
 Præparat hoc tenuem parvâ in cavitate liquorem,
 Qui, licet exiguus, non levè pondus habet;
 Hoc etenim arcanô pro manat fonte Saliva,
 Hasque per angustas transfluit illa vias;
 Sæpe hanc compressis juvat oris motio Vasis,
 Masticat ingestos dum sibi dente cibos.
 Verùm ne nimiam nobis hic sermo salivam
 Excitet, ac aliò nos, & ab Aure trahat;
 Hac de materiâ quæ fors restare videntur,
 Nunc differre placet, quò brevius iter.
 Sic satis Externæ structuram vidimus Auris;
 De cuius si nos utilitate roges:
 Addit ad ornatum dubio procul haut leve pondus;
 Auribus abscissis næ! mihi turpis homo est.
 Porrò, ne cerebri lædatur ab aëre moles,
 Irruat aut subitô vis inimica, cavet.
 Insuper auditûs princeps licet organon haut sit,
 Attamen egregiis adjuvat huncce modis.
 Res loquitur, recipi sis multò promptiùs aure,
 Atque bibi blandô murmure quosque sonos.
 Cernimus hinc, stupido sensu quicunque laborant,
 Auribus hosce cavas sæpè adhibere manus;
 Deque Scythis referunt, aures si frigus adussit,
 Cochleâ in admotâ ponere partis opem.

Auris

Auris ad *Interna* varias nunc sedula partes
 Cura rapit, nostras sollicitatque manus.
 Harum aliquot cavitas petrosi continet ossis,
 Sunt etiam, exteriùs quas reperire licet.
 Auris jucundum visu speculari meatum;
 Et quos anfractus Cochlea parva facit.
 Præter & has Ossis partes, pluresque cavernas,
 Cum Vasis, Musclos aspice, quæso, duos.
 Nec tenuis neglecta abeat membranula Septi,
 Aëra congenitum quam retinere volunt.
 Ossiculisq; tribus; queis quartum, *Cochlear*, addunt,
 Admoveas, par est, lumen & ingenium:
 Hæc etenim sunt parva satis, neque certior usus,
 Quamvis cunctorum nomen ubique sonet:
 Quæ mihi tam varias inter sententia curas
 Præ reliquis placeat, si quoque nosse cupis,
 Expediam verbô: Tenuem fulcire Myringem,
 Proque soni appulsu mox variare reor.
 Hoc tam languidior motus, quam parvula moles,
 Ossa quibus gaudent commemorara, probant.
 Auris dum valeant mihi *Stapes, Malleus, Incus*;
 Heic nimis arguto cui lubet esse, licet!

N A S U S.

Nunc labor adspirat parulæ spiramina Naris,
 Olfactûsque sagax organon aura movet.
 Nasus in Externum dispescitur, ac Internum;
 Sed prius Externo dextra oculata vacet.
 Hunc exploranti monstrat se immobile *Dorsum*,
Spinaq;, quâ dici portio acuta solet.
 Infima sed Nasi pars quodam prædita motu,
Orbiculi exprimitur voce, *globiq;* simul.

Quas

Quas verò partes laterales Naribus esse
 Cernis, *Pinnarum* nomine quæque venit.
 In duo jam Septum referare foramina Nares
 Constat, ut obstructo, quod valet, addat opem.
 Quod verò in mediâ vultûs regione locetur
 Nasus, huic geminæ vis rationis inest :
 Nempè venustati magna hinc accessio surgit,
 Quilibet & sursum tendere suevit Odor.
 Prætereà videas, Nasum, variante figurâ,
 Huic dare permultum ponderis, huicvé parùm.
 Sunt, quos observes aquilinô prodere Nasô
 Magnanimum Cyripectus & ingenium ;
 Sunt quoque, quos corvis accenset Nasus aduncus ;
 Vel simus, Veneris luxuriæque procis.
 Alterius sunt ista loci ; redeamus ad illa,
 Dicere propositi quæ jubet ordo scopi.
 Quæis igitur porrò Nasi substantia constet
 Partibus, exponam, sed breviorè stylô:
 Prima Cutis præstò est, subtili insignis amictu,
 A quâ pinguedo, ceu patet, omnis abest.
 Nec minùs Interior cerni Membrana meretur,
 Transudans nomen cui Pituita dedit ;
 Hæc exquisitô gaudet rarissima sensu,
 Atque foraminibus dum patet exiguis,
 Ejicit infensas hac Sternutatio turbas,
 Ac in consensum cætera membra rapit.
 Cernis in hac tunicâ duo vascula carmine digna,
 Sunt nova ; sed nova quæ cantio, grata sonat,
 Primus ab affusis membranæ partibus ortus,
 Glandia quas formant parvula, quasque replent.

Naribus

Naribus hæc data sunt Lymphatica Vasa, redundans
 Quo secernatur Lympha, madorque loci.
 In brutis res clara patet: queis lympha subinde,
 Olfactus causâ, nare ab utrâque labat.
 Crassior intereâ sub septo hæc, inque columnâ,
 Vibrissisque intus condecorata suis.
 Dantur & exigui Nasutis octo Lacerti,
 Parsq; horum extendit, pars quoq; stringit opus.
 Quem verò obtineat Musclorum quilibet ortum,
 Et quorsum istius mobile tendat iter?
 Hoc longè meliùs vigiles sub fronte ministri
 Monstrabunt, Musæ quàm labor ille meæ.
 Huc oculos, huc flecte manus, sic cuncta patebunt,
 Sive sient Tunicæ, sive Canalis opus.
 Fert Jugularis opem, fert anteâ dicta Carotis,
 Filaque Nervorum motibus apta vehunt.
 Diversos Nasi superest ut proferat usus
 Cura, tot abstrusis sæpè retenta viis.
 Scilicet adductus referatis naribus aër
 Ad cerebri properans interiora meat;
 Pulmonumque petit subtili bronchia tractu,
 Frigida quò cordis temperet aura sinus.
 Non equidem ignoro, dubitans quid opinio dicat,
 Nec mihi mens, quasvis conciliare plicas;
 Quin potius variæ meditata recenseo curæ,
 Eligat ut verum, qui meliora videt.
 Si cui displiceat Veterum sententia, nullas
 Propterea lites huic mea Musa seret:
 Hujus enim quicquid fuerit; reor esse probatum,
 Aëris in nostrò sanguine signa dari;

Quin

Quin etiam reliquis in toto corpore succis
 Visceribusque auram semper adesse puto.
 Ingressus ratio quamvis sub iudice pender,
 Nec dum de certis constat ubique viis;
 Aëris effectum tamen experientia monstrat,
 Inque restauratō sanguine certa docet.
 Si tibi frigiditas auræ minùs apta videtur,
 Condensansque times fervidō in amne gelu:
 Hincque modernorum placitis subscribere malles,
 Surge, age, consensum do tibi sponte meum;
 Temperat attenuans densum levis aura cruorem,
 Sic viget, atque magis florida massa fluit.
 En! placeo? placeat quoq; frigidiusculus aër;
 Huic cum Corde, reor, non malè conveniet.
 Sed pergo reliquos breviter proponere fructus,
 Quos Natura homini, Nare valente, parit.
 Hoc odor, ut dixi, defertur tramite quivis,
 Hinc nare abscissâ vis modò dicta perit.
 Sensus odorandi queis Nasi partibus insit?
 Haëtenus ambiguis res agitata viis.
 Sunt mammillares Cerebri, tunicâque recincti
 Processus, nervum quos animare vides.
 Perque suos Nasus sensim excrementa canales,
 Sanguinis ex largō fonte oriunda fugat.
 Insuper & voci quid conferat actio Naris,
 Sæpiùs affligens hancce Coryza docet.
 Denique quis truncas infaustō vulnere Nares
 Totam mox faciem dedecorare neget?
 Hincque pudicitiam asserturas sæpè puellas
 Hoc sibi præsidio consuluisse ferunt;

Ægyptusque sagax furtivi fœdera lecti
Abscissis quondam naribus ulta fuit.

OS, BUCCA, & LABIA.

Tendimus ad portum, fessis loca grata carinis,
Musaque finitum cernere anhelat opus.
Jamque sibi proprio meritas examine laudes
Lingua cani, nobis officiosa, cupit.
Quin cupit in minimas solvi pars optima partes,
Singula quò pateant muneris orsa sui.
At mihi jam dudum siccis ea faucibus hæret,
Atque premit lassas ars repetita manus.
Ne tamen in mediâ sudor frustretur arenâ,
Ac desiderio spes cadat ipsa suo;
Quæ restant, peragam, Linguæve secabo recessus,
Quicquid & eximii continet, omne dabo.
Sed quia diversis prohibemur partibus Oris,
Quò minus ad Linguam pes iteratus eat;
Nec solum exteriùs, sed & intrâ os plurima Valli
Robora concurrunt, injiciuntque moras;
Hæc prius è mediò suetâ removebimus arte,
Cunctaque distinctis offeret ordo locis.
Infrâ Oculos, Nasum pariter pars inter & Aurem
Occurrit, *pomi* cognita voce diu,
Et quoniam in multis rubro suffunditur orbe,
Creditur hac præsens sede sedere pudor.
Inferior sed laxa magis pars *Bucca* vocatur,
Quandoquidem inflari, ceu patet, ista valet.
Haut procul hinc residet *Mystax* & amabile *Philtrû*,
Cumque Ore extremò bina *Labella* tument.
Interiùs *Maxilla* duplex sua symbola confert,
Robur & hinc ingens *Oris* hiatus habet,

Heic

Hæc benè munitis insertos ordine Dentes
 Alveolis, multùm visque nitorque probant.
 Buccarum internum quàm plurima Glandia vultum
 Obducunt, vasis condecorata novis :
 Sic labiorum etiam parvis velut ambitus uvis,
 Glandula quas format multiplicata, tumet.
 Hisque iterum nova Vasa, suos variantia ductus,
 Jungi cum Nervis, distribuique solent.
 Hic oculis opus est; quis enim tot Glandia versu
 Exprimat, & propriò nomine cuncta canat ?
 Hactenus ignorat tot Vasa recentia Pindus,
 Ipseque difficiles cernit Apollo modos;
 Scilicet ingenium Musæ, Profectio, vincis
 Cultrò, & linguam dexteritate manûs !
 Sit tibi, præcipuum nostris nunc versibus usum,
 Glandia quem præbent, enumerâsse satis :
 Nempè in proventum conspirant cuncta Salivæ;
 Hoc parat, hoc purgat, provehit illud opes.
 Hic ille est variis qui constat partibus Humor,
 Sulphur ubi proprium, Sal ubi munus agit :
 Hoc sine Ventriculi nulla est digestio succis,
 Fermento primas datque saliva notas.
 Sisto gradum, dubitans ne me sententia turbet,
 Meque suis salibus, sulphure meque premat :
 Nam Medici certant, & adhuc sub iudice lis est,
 Quam frustra cultrò solvere dextra velit.
 His igitur missis, cernamus porrò Lacertos,
 Quorum Maxillæ & Labra moventur ope :
 Et, licet à metricis abeant hæc nomina verbis,
 Pars tamen officii vel meminisse quoque est.

Communes igitur buccis labrisque Lacerti
 Sunt numerò quatuor; parte ab utràque duo:
 Nomen habet primus *Quadrati*; latior ille,
 Sub cute qui colli rectus ubiq; jacet:
 Moxvé sub hoc inflans buccas plenò ore secundus,
 Carnosâque suâ mole rotundus adest.
 Hic tamen inflatus potiùs sua munera præstat,
 Namque adducendo Musculus omnis agit.
 Sæpiùs intendit cynici violentia spasmi
 Primum, dum motus excitat illa novos.
 Alter at, officium præter commune duobus,
 Dentibus inservit, comminuitque cibum.
 Insuper & proprios labris Natura Lacertos
 Concessit, numerò qui variare solent.
 Namque alii plures numerant, aliique vicissim
 His aliquos demunt; sic sibi quisque sapit.
 Supremo proprium par est illustre labello,
 Obtinet hinc primum cum ratione locum:
 Huic intermedius verum parit angulus ortum,
 Angulus à Nasò, Luminibusque fluens:
 Hinc labri in corpus supremi, tramite rectò,
 Jam dicta inseritur motibus apta caro.
 Quod movet inferius labrum, *mentale* vocari
 Par solet, ex proprio munere nomen habens.
 Sunt & utrique simul qui præstant grata labello
 Munera, quos motum consociare juvat.
 Hos genere observas triplici prodire Lacertos,
 Nec deesse insigni quemlibet officio.
 Primus utrumq; trahit sursum propè tempora labrù,
 Alter, cum socio, detrahit omne suo:

Terti-

Tertius os totum, Sphincteris ad instar, oberrat,
 Virgineo stringens bina labella modò:
 Vasaque purpureo perfundunt ora liquore,
 Atque venustatis prospera signa ferunt.
 Labraque tam celeri tumeant quòd prædita sensu,
 Missa huc Nervorum multa propago facit.
 Quot porrò inferior numeret Maxilla Lacertos,
 Dicere nunc series continuata jubet.
 En! paria imprimis tibi sistam digna notatu,
 Quorum quinque secans detegit arte manus.
 Primus, cum socio, *Crotaphites* Musculus audit,
 Robore qui reliquos maximus ipse præit;
 Os hic diductum nervoso tendine claudit,
 Maxillam aggreditur quando levare suam:
 Ordine qui sequitur, prior est *Mansorius*, ambas
 Qui molitor buccas incoluisse solet:
 Tertius antrorsum stans colla movere paratus,
Alaris dici suevit; at exterior:
 Est etenim interior, quartus, *Mansorius* alter,
 Maxillam pariter, qui velut ala, levat:
 Hanc verò quintus quoties trahit, ecce, deorsum,
 Os motu clausum mox variante patet.

DENTES, ALIÆq; PARTES IN ORE
 CONTENTÆ.

Hactenus Os circa remoras semovimus illas,
 Quæ poterant Linguæ nos prohibere aditu:
 Nunc & in Ore sitas tollam dicto ordine partes,
 Ut tandem pateat libera lingua tibi.
 Dentes jam tetigi, nec non memorabile Vallum,
 Quo Gingiva suum protegit apta decus;

Ossa sui generis reor esse, nec ipse doloris
 Dissentit sensus, mollitiesque probat.
 Ipse vides numerò triginta, credo, duosque,
 Dissimilesque horum cuilibet esse notas.
 Namque nihil dubito, tibi quin maturior ætas
 Attrulerit dentes, queis sapere incipimus.
 Sed salibus veniam! nunc metæ fila sequamur,
 Stringamusque brevi cœtera fanda stylò.
 Ars non sola coqui est, dubio servire *Palato*,
 Ad nostros etiam pertinet illa modos.
 Quid sibi, quid vox ista velit, res ipsa loquetur,
 Si cerebri placeat ritè notare basin.
 Ceu thorax, hæc oris leviter pars concava surgit,
 Hac sunt qui *Cœlum* de ratione vocant.
 Mollis ab hoc cerebri fundamine Glandula pendet,
 Uvæ cui nomen fortè figura dedit.
 Exiguus, binisque manet suspensa Lacertis,
 Hisque ligamentum neçtitur, ecce, duplex:
 Sunt, quibus hæc quondam visa est pars vocib² apta,
 Hinc *vocis plectrum* sæpè vocata fuit;
 Sed malè; nam læsâ hac rarò modulamina vocis
 Prorsus læduntur, cætera si valeant:
 Quin igitur potius moderabitur ista ruentem
 Aëris ingressum, frigiditate gravem.
 Talis enim tenero Pulmoni plurima ferre
 Damna solet, faciens asperitate Phthisin.
 Insuper est alius nequaquam ignobilis usus,
 Uvula quem gaudens prosperitate parit:
 Hæc etenim, sumti ne debita copia potûs
 Ex patulo in nares refluat ore, cavet.

De-

Depressâ linguâ, diducto que oris hiatu
 Nunc manibus *Fauces*, luminibusque patent.
 Hac offert se sede basis fidissima Linguae,
 Os quam non rarò Gutturis inde vocant;
 Officulis constat variis, sed grandius illud,
 Sub quò parva situm pars, *Epiglottis*, habet;
 Hujus jam binos, (quos dici *Cornua* nôsti,)
 Cernis processus, pluraque digna cani:
 Obsequiosa tamen minùs horum nomina Musæ,
 Resque oculis potiùs subjicienda tuis.
 Sic quoque difficilis labor est, resecare Lacertos,
 Qui dictum os, linguâ nil renuente, movent.
 Maxima pars quatuor paria ostendisse laborat,
 Invenias, quintum qui numerare volent.
 Par primum anterius scutali in parte recumbit,
 Et versus partes inferiora trahit:
 Mox breve quod sequitur carnosâ mole repletum,
 Sub mentò latitans pondera pressa levat:
 Tertium at in dicti modò cornua desinit ossis,
 Et teres, & gracile est, & movet in latera:
 Quartum par etiam gracile est, sed longius illò,
 Ad latus hoc partem ac inferiora trahit.
 Musa quidè numeros meminit, modò verba teneret,
 Quodque vetus nomen quisque Lacertus habet;
 Sed cùm Romano sint multa incongrua plectro,
 Nil profecturis abstinet illa moris.
 Restat, ut enumerem breviter, quæ Gutturis ossis
 Verior utilitas, officiique labor?
 Scilicet, ut dictum est, Linguae fundamina ponit,
 At tamen haut omni mobilitate caret.

Porrò etiam Musclis tùm Linguae, tùmque Laryngis,
Pluribus egressum, principiumque notat.

L I N G U A.

Jamque tot obstaculis linguave manuve remotis,
Lingua patet; nostri meta laboris adest.
Huic à lingendo, quò partem muneris implet,
Hoc nomen Veteres imposuisse, ferunt,
Unica concessa est homini, nec pondere justò
Major, quò promptis motibus apta foret.
Statque oblonga parùm, radiceque crassior hæret,
Inque decens tandem mollis acumen abit.
Posteriùs partim connectitur illa Laryngi,
Partim aliis, quorum mentio facta fuit.
Nam sua Tonsillæ, sua Fauces vincula donant
Linguae, quin momen grande Lacertus habet.
Nec quoque Funiculum, qui freni nomine gaudet,
Intactum prorsus debita cura sinet;
Sæpiùs in noviter natis hæc lingua ligatur
Parte nimis, poscens arte secantis opem.
Lingua poris plenò, tenuique ornatur amictu,
Quò melius penetrret carnis ad ima sapor.
Illius imprimis substantia digna notatu est,
Vix etenim similem Viscera quæque tenent:
Non equidem antiquis hæc Musculus esse putatur,
Cùm fibris careat, nec moveatur iis:
Sed nunc diversum, constat, sentire Recentes,
Linguam accuratâ qui secuere manu:
Hujus enim innumeras in molli corpore fibras
Carnosas monstrant ordine dispositas.

Quin

Quin hac protuberant surgentes carne papillæ
 Quas, instar fungi, nervea fibra serit.
 Raninasvé duas sub linguæ pondere venas,
 Quas Jugulare penu suggerit, esse vides;
 Atque his insignes confert Arteria ramos,
 Sicvé suas sociat plena Carotis opes.
 Porrò superficiem distinguit candida Linguæ
 Linea, & in partes dividit una duas.
 Quod restat, Linguæ comprehenditur omne Lacertis,
 Quos scis hanc vario flectere posse modo.
 Ecce! Styloglossum, primum Par ordine, Linguam
 Introrsum ducit, si simul unus agat;
 Sin verò ludent conjunctis viribus ambo,
 Sursùm intertexta hoc fibra levabit onus:
 Parq; Myloglossum sequitur, quò stante, Palatum
 Versus, & ad dentes tollitur acta caro;
 Quod si solus agat, socio cessante, Lacertus,
 Obliquè sursùm linguam animare valet:
 Nunc Geneoglossum mediò par stabilementò,
 Exfertâ linguâ, roboris ausa notat:
 Quin etiam introrsum trahit hanc, si maxima cesset
 Portio fibrarum, nec nisi vilis agat:
 Quartum Par oritur mediò quasi Gutturis osse,
 Et Linguam abscondens vi retrahente premit.
 Par Ceratoglossum, dicti quod cornubus ossis
 Adscribit cunas, terminat huncce gregem;
 Hoc linguam juxtâ interiora movere deorsum,
 Musculus accurrat si benè uterque, valet;
 Sin verò alteruter retrahatur fortè Lacertus,
 In latus alterutrum tunc quoque quisque movet.

Plurima radicem quæ linguæ Glandula cingit,
 Proficuo partem plena madore rigat.
 Sic instructa suos exantlat Lingua labores,
 Egregiis homini commoda lingua modis:
 Ecquis enim ignorat Gustûs hanc organon esse,
 Quô sine deliciis gratia nulla cibi:
 Masticet ut solidas comedens data pabula partes,
 Hunc benèvolvendo lingua parata juvat:
 Hæc eadem, quâ parte animalia pleraque lingunt;
 Nominis hinc dictum est omen habere sui.
 Eminent hæc inter Sermonis munera munus,
 Quô solô brutis antefendus homo:
 Humano membrum non est in corpore Linguâ
 Nobiliusque bonâ, deteriusque malâ:
 Multis, crede mihi, nocuit sæpè, esse locutum;
 Et Mopsus sapiens, si tacuisset, erat.
 Egregium ut decus est, præstare silentia rebus,
 Sic contrâ insignis culpa, tacenda loqui.
 Desine mirari, quòd poma fugacia capter
 Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.
 Tantum Lingua valet! minimum si Lingua lo-
 quatur,
 Censuræ Momi subjacet hoc minimum!
 Quàm vereor, nostram ne rideat ille Camœnam,
 Dente Theoninô quem juvat esse Virum.
 Hinc filum abrumpens reliquo valedico labori,
 Nexaque centenis ossibus ossa sino:
 Nec *Pedis* officium, *Manibus* nec debita nostris
 Munera carminibus territa Musa refert:
 Hactenus illa satis chordâ fortassis eâdem
 Erravissè tibi, Zoile, visa fuit.

Atque

Atque creata tuo est repetitis nausea verbis
 Ingenio, propriâ quod sibi blandit ope:
 Quid fieret, versu si descriptura rigentes
 Exhaustosque Artus, Ossaque Musa foret?
 Præter nudatos mediâ plus parte Lacertos,
 Dictaque Valorum Nomina, nil caneret?
 Esse equidem cunctis magnû, patet, Artubus Usus,
 Nec minùs hos reliquò pondus habere lare,
 Ast ibi præcipuâ cùm regnet Musculus arte,
 Atque suâ punctum dirigat omne manu,
 Nescio quid nostri metuant, hoc Consule, versus,
 Ulterius nolint quòd mihi ferre pedem;
 Nempè nimis nostros turbavit is hæctenus ausus,
 Nec rarò renuit totus adesse metro.
 Et quamvis noster magnâ vi brachia tollat,
 Brachia quòd resecat corporis illa, labor,
 Atque manum Manibus solers adjungat utramque
 Cura reservatos explicitura locos:
 Utrobique tamen cunctator Musculus obstat,
 Nominibus tardans carmina nostra suis.
 Non avulsa aliàs mihi sic à corpore abires
 Corporis innumeris usibus apta *Manus*:
 Monstraremque tuus quæ præstet robora Pollex,
 Debita quin Digitis commoda mille darem:
 Quid valeant Humeri, canerem, quid ferre recusent,
 Jamque etiam Cubiti mentio facta foret,
 Instrumentorum qui te vult organon esse,
 O! Manus, expressit rem mihi ritè Sophus.
 Siquid enim ambabus sumendum porrigat Usus,
 Quis, nisi prompta Manus venerit, aptus erit?

Quia

Quin pia sæpè graves avertit Dextera motus,
 Cui sociam jungit grata Sinistra manum :
 Deniq; quis varias, manibus quas condimus, artes,
 Quis manuum lusus, seria quisvè canat?
 Nudus homo manibus brutorum robora vincit,
 Dum sibi, queis pereant singula, tela parat.
 Denique quid referam? Rationi ritè ministrant,
 Cum Sermone, Manus; has homo solus habet.
 Nec tamen interea *Pedibus* sua pondera defunt,
 Pondera diversis officiosa locis.
 Ecquis Crura putet Fabricæ minus utile pondus,
 Quæ sunt totius maxima fulcra domûs?
 Mole suâ ruerent, nisi tali cætera mole
 Corporis Humani viscera tuta forent.
 Ambulat erecto sapiens ad sidera vultu,
 Incessuque suo fert Homo grande decus.
 Quàm properat properare suo pede nostra Camœna,
 Expositura agilem poplite quemque Pedem!
 Totum cerne Pedem, nil non laudabile cernes,
 Omnes forma gradus utilitate probat.
 Indicat ipsa teres cantandam Sura figuram,
 Hanc Tali monstrant, & juvenile Femur.
 Et quasi sponte Genu se flectens, ecce, Camœnam,
 Officii genus hoc quò canat arte, rogat.
 Ast iterum ad verso se opponit Musculus ausu,
 Nesciaque inflecti Versibus Ossa meis,
 Ut verum fatear, nequeo, tam paupere venâ,
 Dicere tot facies, mire Lacerte, tuas;
 Instat Vertumni mihi tu vel mille figuras
 Offers, atque meos effugis arte pedes.

Tum

Tum quoque lassato procedunt carmina crure,
 Carmina tot fractis vix oneranda sonis.
 Ista coronatos expectat Fama Poëtas,
 Quæis propensa magis Musa favere solet.
 Gestit ad adspectum Linguæ mea Lingua silere,
 Hacque etiam officii parte placere sui;
 Lingua fatigatæ mihi dextræ terminus esto,
 Quando cultelli nunc & acumen hebet.
 Si fortè asperso pupugit sale Carminis autor,
 Fecisse innocuo se putat omne modo.
 Candida Mens semper mordaci à bile refugit
 Fota nec est sparsis vipera sæva jocis.
 Nil mihi cum satyrâ: sed nec sapor ullus adesset,
 Nî foret in tantô corpore mica salis:
 Hinc nostræ, Lector, Musæ Linguæque favebis,
 Et veniam dictis, quam peto, Lingua dabit.
 Multa meo, fateor, se subduxêre labori,
 Singula nec nostris sunt recitata metris;
 Est sua ludenti ratio. neque cuncta docere
 Carmine te volui, sed recreare, meo.
 Si prodesse tamen licuit, res ipsa legentem
 Movit; namque Elegis hæc favet una meis!
 Quidquid in his rebus docti invenêre Moderni,
 Me magnam partem commemorâsse puto;
 Nec tamen antiquos contempsimus arte magistros,
 Evexit pariter quos oculata manus:
 „ Displicet insipiens Novitas, delira Verustas
 „ Non placet; est Verô nil mihi, crede prius.
 Hoc iter aggressum, *Profectio*, tramite finis,
 Dum finire jubet putre cadaver opus.

Pulvis

Pulvis & umbra sumus! fatis est! cessate labores,
 Tuque viæ illustris Duxque Comesque Vale:
 Semper honos, laudesque tuæ, *Profectio*, crescent;
Totum Hominem nostro destruis una bono!

EPILOGUS.

Sic tandem exegi vacuæ quod muneris horæ
 Fecere ingenii non feriantis opus.
 Lusimus: at nostri duxerunt seria lusus,
 Erexit Mentem dilaceratus Homo.
 Non Veneris, non vane, tuos, puer, auximus arcus,
 A nostro hæc prorsus res aliena scopo est.
 Nec tua cantando siccans carcheria, Bacche,
 Musa coronatis ebria facta scyphis.
 Seria mortalis lustrans spectacula scenæ
 Vana voluptatum nomina dedidici.
 Viva Cadaver erat dubii splendoris imago,
 Detractâ licuit nosse Caduca cute.
 Viscera conspicuis monstrarunt fata lacunis,
 Et corruptelæ signa dedere suæ:
 Corporis his, fateor, fulcitur vita columnis,
 Mors tamen hoc ipsò lare propinqua latet.
 Quæ nituit quondam rubicundo plena colore
 Gratia, jam passim pure relapsa madet.
 Usque adeò miser hic totus nunc distat ab illò,
 Qui paucos hilaris vixerat ante dies.
 Hoc me scire iuvat, quò deteriora sequentes
 Mens revocet gressus, & meliora probet.

Utile

Utile mortales ne spernite, quæso, theatrum,
 In quò quemque suas constat habere vices.
 Quàm spissò ostensis concurratur agmine nugis,
 Suspensumque tenet simia sæpè gregem?
 Concitat effractò plebéos dente cachinnos
 Insidians oculis promptus Agyrta manu:
 Ambulat extenso quoties levis histrio fune,
 Mox hominum totâ confluit urbe cohors:
 Applausum populi perfrictæ Sannio frontis
 Atque loquens manibus Gesticulator habet:
 O! euras vulgi! O! quantum est in rebus inane!
 Huc ades, & proprias, Incola, cerne lares.
 Ergone continui tibi rumpent ilia risus,
 Qui fletu vitæ stamina prima notas?
 Quæ tibi longævus promittit Opinio soles,
 Quid? nisi planta velut solstitialis erit?
 Quin ergò accedis nostræ spectacula scenæ,
 Unde vel Impietas concipit esse DEUM?
 Hunc supplex Natura videt, Fabrumque potentem
 Alma colens tacito murmure corda ferit.
 Agnosco, & manibus meritas tibi, Magne Creator,
 Sublatis grates, quas queo, servus ago:
 Tu mihi lusuro dederas, DEUS, argumentum,
 In quo vel minimus maxima monstrat apex.
 In tua da faciles porrò præconia motus,
 Sint hæc ingenii cura laborque mei?
 Fac, Sensus, quorum jam quælibet organa vidi,
 In laudes rapiant me, sine fine, tuas:
 Te celebret, mundi cernens miracula, Visus,
 Et Verbò Auditus personet usque tuò:

Sen.

Sentiât Olfactus Divini unguenta Favoris,
 Balsamaque ex cœlo quæ tuus halat Amor:
 Dumque tuo noster recreatur munere Gustus,
 Concessos capiat sobrius ore cibos:
 Nec minùs assiduò Tibi Tactus serviat usu,
 Inque ministeriis desinat ille tuis:
 Desinat! atque animam dum languidus exhalabo,
 Totum *Vera Salus* me tibi, JOVA, sacret!

FINIS.



Emendentur seqq.

Pag. 15. v. 24. pro *In ipso*, L. in totô.

16. v. 13. *Dicatam*, L. Distentam.

24. v. 14. *Lare*, L. parte.

33. v. 6. *Dicatas*, L. assuetas.

v. 11. *Lubrica*, L. fragilis.

42. v. ult. *Desideres*, L. Discupias.

59. v. 8. *Labo*, L. Labor,

80. v. 15. *Anteà dicta*. L. ante relata.

89. v. 11. *Prouberant*, L. prorumpunt.

94. v. 6. *Feriantis*, L. renuentis.

20. *Hoc ipsô lare*, L. hac ipsâ labe.

1. Theophrastus I. h. a. 1. p. 1.	20.
2. Theophrastus I. h. a. 1. p. 2.	21.
3. Theophrastus I. h. a. 1. p. 3.	22.
4. Theophrastus I. h. a. 1. p. 4.	23.
5. Theophrastus I. h. a. 1. p. 5.	24.
6. Theophrastus I. h. a. 1. p. 6.	25.
7. Theophrastus I. h. a. 1. p. 7.	26.
8. Theophrastus I. h. a. 1. p. 8.	27.
9. Theophrastus I. h. a. 1. p. 9.	28.
10. Theophrastus I. h. a. 1. p. 10.	29.
11. Theophrastus I. h. a. 1. p. 11.	30.
12. Theophrastus I. h. a. 1. p. 12.	31.
13. Theophrastus I. h. a. 1. p. 13.	32.
14. Theophrastus I. h. a. 1. p. 14.	33.
15. Theophrastus I. h. a. 1. p. 15.	34.
16. Theophrastus I. h. a. 1. p. 16.	35.
17. Theophrastus I. h. a. 1. p. 17.	36.
18. Theophrastus I. h. a. 1. p. 18.	37.
19. Theophrastus I. h. a. 1. p. 19.	38.
20. Theophrastus I. h. a. 1. p. 20.	39.
21. Theophrastus I. h. a. 1. p. 21.	40.
22. Theophrastus I. h. a. 1. p. 22.	41.
23. Theophrastus I. h. a. 1. p. 23.	42.
24. Theophrastus I. h. a. 1. p. 24.	43.
25. Theophrastus I. h. a. 1. p. 25.	44.
26. Theophrastus I. h. a. 1. p. 26.	45.
27. Theophrastus I. h. a. 1. p. 27.	46.
28. Theophrastus I. h. a. 1. p. 28.	47.
29. Theophrastus I. h. a. 1. p. 29.	48.
30. Theophrastus I. h. a. 1. p. 30.	49.
31. Theophrastus I. h. a. 1. p. 31.	50.
32. Theophrastus I. h. a. 1. p. 32.	51.
33. Theophrastus I. h. a. 1. p. 33.	52.
34. Theophrastus I. h. a. 1. p. 34.	53.
35. Theophrastus I. h. a. 1. p. 35.	54.
36. Theophrastus I. h. a. 1. p. 36.	55.
37. Theophrastus I. h. a. 1. p. 37.	56.
38. Theophrastus I. h. a. 1. p. 38.	57.
39. Theophrastus I. h. a. 1. p. 39.	58.
40. Theophrastus I. h. a. 1. p. 40.	59.
41. Theophrastus I. h. a. 1. p. 41.	60.
42. Theophrastus I. h. a. 1. p. 42.	61.
43. Theophrastus I. h. a. 1. p. 43.	62.
44. Theophrastus I. h. a. 1. p. 44.	63.
45. Theophrastus I. h. a. 1. p. 45.	64.
46. Theophrastus I. h. a. 1. p. 46.	65.
47. Theophrastus I. h. a. 1. p. 47.	66.
48. Theophrastus I. h. a. 1. p. 48.	67.
49. Theophrastus I. h. a. 1. p. 49.	68.
50. Theophrastus I. h. a. 1. p. 50.	69.
51. Theophrastus I. h. a. 1. p. 51.	70.
52. Theophrastus I. h. a. 1. p. 52.	71.
53. Theophrastus I. h. a. 1. p. 53.	72.
54. Theophrastus I. h. a. 1. p. 54.	73.
55. Theophrastus I. h. a. 1. p. 55.	74.
56. Theophrastus I. h. a. 1. p. 56.	75.
57. Theophrastus I. h. a. 1. p. 57.	76.
58. Theophrastus I. h. a. 1. p. 58.	77.
59. Theophrastus I. h. a. 1. p. 59.	78.
60. Theophrastus I. h. a. 1. p. 60.	79.
61. Theophrastus I. h. a. 1. p. 61.	80.
62. Theophrastus I. h. a. 1. p. 62.	81.
63. Theophrastus I. h. a. 1. p. 63.	82.
64. Theophrastus I. h. a. 1. p. 64.	83.
65. Theophrastus I. h. a. 1. p. 65.	84.
66. Theophrastus I. h. a. 1. p. 66.	85.
67. Theophrastus I. h. a. 1. p. 67.	86.
68. Theophrastus I. h. a. 1. p. 68.	87.
69. Theophrastus I. h. a. 1. p. 69.	88.
70. Theophrastus I. h. a. 1. p. 70.	89.
71. Theophrastus I. h. a. 1. p. 71.	90.
72. Theophrastus I. h. a. 1. p. 72.	91.
73. Theophrastus I. h. a. 1. p. 73.	92.
74. Theophrastus I. h. a. 1. p. 74.	93.
75. Theophrastus I. h. a. 1. p. 75.	94.
76. Theophrastus I. h. a. 1. p. 76.	95.
77. Theophrastus I. h. a. 1. p. 77.	96.
78. Theophrastus I. h. a. 1. p. 78.	97.
79. Theophrastus I. h. a. 1. p. 79.	98.
80. Theophrastus I. h. a. 1. p. 80.	99.
81. Theophrastus I. h. a. 1. p. 81.	100.

R.
R.
CO
AC

GO
Pro
ex

142.
63.
163.
49.
57.


64.
24.
82.
21.
ci-
is,

cca
64.
56.
16.
66.
15.
16.
19.

18.
4.
iū

9.
7.
1.
4.
8.







Pa 666

197 8

1017





923847

LAURENTII STRAUSSII,
Med.D. hujusq; & Physic.Prof.
Ordin. Giffens.

ΜΙΚΡΟΚΟΣΜΟΓΡΑΦΙΑ
ΜΕΤΡΙΚΑ,

Sive
HUMANI CORPORA
HISTORIA,
Elegiacô Carmine

exhibita,
& ad
Sanguinis Circulationem, & pleraq; no-
va Anatomicorum Inventa accommodata.
ANNO MDCLXXIX.



G I E S S Æ,
TYPIS excudebat in Offic. Academ.Kargeriana
Joh.Eberhardus Petri.

